UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. XV. Non commutatur satisfactio sacramentalis propriâ auctoritate, etiam in meliorem. Ob causam mutari potest ab eodem, vel altero Confessario, saltem si peccata reperantur fortè etiam absque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-73393

Visual Library

327\. Pro fine, Nota, Suarium diſp. 38. ſect. 9. n. 3. citare D. Thom. Bona. Durand. Sotum, Gabriëlem & Alenſem, quaſi apertè docuiſſent ſatisfactionem per alium factam, ſufficere non tantùm ad implendum præceptum Confeſſoris, ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit. Unius Seraphici Doctoris verba exſcribo: *Dicendum,* inquit, *quòd pœna ſatisfactoria habet in ſe duplicem rationem ſive veritatem. Pœna enim talis propter duo eſt maximè, & propter medicamentum contra ſequelas peccati, & in pretium ad ſolvendum reatum peccati. Si ergo loquamur de iſta pœna, ſecundùm quod eſt purgatoria ſive medicinalis, cùm morbus non recipiat medicinam ex pœna aliena, ſed propria: unde non extinguitur concupiſcentia in me, ſi tu ieiunas pro me, quantùm ad hanc rationem pœna ſatisfactoria nec poteſt, nec debet commutari in aliam perſonam. Poſſet tamen commutari in pœnam internam, quia gemitus cordis plus frequenter medetur, ut reparet animam, quàm diuturnitas pœnæ exterioris Si autem loquamur de pœna, ſecundùm quòd habet rationem pretii, hoc modo eſt concedendum, quòd poteſt commutari, quia poteſt unus pro alio ſolvere pœnam. Sed hæc commutatio debet fieri auctoritate Sacerdotis.* Ita Bona. 4. diſt. 20. qu. 1.

Suarius citat. D. Tho, Bona Durand. Sotum. Gab. & Alenſem pro ſententia Paludani.

Quæ verba, an apertè doceant iſtam ſententiam, judicet Lector. Mihi aperta ſunt verba Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Habeant autem præ oculis* (Sacerdotes) *ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam* &c. Ergo ſatisfactio ſacramentalis debet eſſe ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum: ſed, ſecundùm Doct. Seraphicum, pœna medicinalis, *nec poteſt, nec debet commutari in aliam perſonam*; ergo &c.

328\. Saltem hoc habemus ex Doct. Seraphico, quòd commutatio pœnæ in aliam perſonam debeat fieri auctoritate Sacerdotis. Contrariam propoſitionem, videlicet: *Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat,* ad minus tamquam ſcandaloſam prohibuit ac damnavit Alex. VII. an. 1666. die 24. Sept.

Subſtitutio alterius perſonæ debet fieri auctoritate Sacerdotis.

Si autem à me quæritur; an etiam commutatio pœnæ, in aliam pœnam, debeat fieri auctoritate Sacerdotis? Reſpondeo & Dico decimo quinto:

## CONCLUSIO XV.

### Non commutatur ſatisfactio ſacramentalis propriâ auctoritate, etiam in meliorem. Ob cauſam mutari poteſt ab eodem, vel altero Confeſſario, ſaltem ſi peccata repetantur; fortè etiam abſque repetitione.

OPpoſitum primæ partis docet Portel verb. *Pœnitentia Sacramentalis* n. 6. Poteſt, inquit, pœnitens auctoritate propriâ commutare pœnitentiam ſibi impoſitam in aliud opus, cognitum evidenter melius. Probatur à ſimili: nam Omnes dicunt, poſſe quemlibet ſuum votum commutare auctoritate propriâ in opus evidenter melius, ùt qui vovit dicere tertiam partem Roſarii, poterit commutare in unum diem jejunii. Eſt autem eadem ratio in præcepto, orto ex voto, & ex mandato Confeſſoris. Ita probabiliter Portel, inquit Diana, part. 2. Tract. 1. Miſcell. reſol. 53. circa finem, licèt Aliqui, etiam magìs probabiliter, contrarium aſſerant. 329.

Oppoſitum 1. partis Concl. docet Portel. — Dian.

Meliùs dixiſſet; *Licèt Alii communiter* &c. nam præter hunc Auctorem, nullum alium citat iſto loco. Dico; *Iſto loco*, quia part. 3. tract 4. reſol. 53. adhuc unum citat, videlicet Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 79. n. 1. ubì ſic aſſerit: Ipſe pœnitens poteſt commutare pœnitentiam in aliam meliorem, quæ ſit cognita melior in ratione ſatisfactionis, & in ratione medicinæ. Et non obſtat dicere, quòd Confeſſor mandat facere illam pœnitentiam, quia mandat facere in ordine ad utilitatem ſpiritualem. Et ſi ille diceret, quòd vellet commutare in aliud opus, quod fuerit cognitum meliùs in ratione ſatisfactionis & medicinæ, eſt res multùm plana, quòd debeat Confeſſor tenere pro bono; & ita poteſt commutare pœnitens per Epykiam. Hæc ille.

Item Villalobos.

Deinde Diana part. 9. tract. 9. reſol. 53. pro eadem ſententia citat Leandrum tom. 1. tract. 5. diſp. 9. q. 102. & Cæleſtinum.

Leander & Cæleſtin.

Sed propter hos quatuor Auctores non eſt recedendum à communi ſententia Sanchez Sum. lib. 4. c. 11. n. 36. Reginal. in Praxi tom. 1. l. 7. c. 8. n. 85. Coninck diſp. 10. n. 13. Sancii ſelect. diſp. 14. n. 22. Lug. diſp. 25. n. 96. Arriag. diſp. 48. n. 20. Dicaſt. diſp. 14. n. 134. Henriquez l. 5. c. 20. n. 5. Tamb. Opuſc. 1. de Confeſſ. l. 4. c. 3. p. 1. n. 15. Turr. in ſelect. p. 2. diſp. 31. dub. 62. Herincx ſuprâ n. 28. & Aliorum, ut proinde meritò Dia. ſuprà, quamvis ſententiam 330.

Concluſ. noſtra eſt communis. Sanchez. Reginaldus. Coninck. Ioan Sanch. Lugo. Arriaga. Henriquez. Tambur. Turrianus. Herincx.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tentiam Portel vocet probabilem, noſtram tamen exiſtimet probabiliorem.

Probatur argumento præceptorum Eccleſiæ.

Quæ præcipuè probatur argumento præceptorum Eccleſiæ, putà audiendi Miſſam, jejunandi &c. quæ à ſubditis nequeunt commutari in evidenter melius; ergo neque præceptum Confeſſarii: tanta quippe eſt poteſtas Confeſſarii, præcipiendi certam pœnitentiam pœnitenti in Sacramento Pœnitentiæ, quanta eſt poteſtas Eccleſiæ, præcipiendi fidelibus hæc vel illa opera bona extra Sacramentum Pœnitentiæ. Si Ergo fideles non poſſunt illa opera bona, ſibi præcepta ab Eccleſia, commutare in alia opera evidenter meliora, neque pœnitens poterit pœnitentiam, ſibi præceptam à Confeſſario, commutare in evidenter meliorem, multò minùs in æqualem.

331. Reſpondetur ad rationem in contrarium.

Nec obſtat ratio Villalobos; putà, quia Confeſſarius præcipit hanc vel illam pœnitentiam in ſpiritualem utilitatem pœnitentis; ergo cenſetur velle opus, quòd utilius eſt. Nam etiam Eccleſia præcipit jejunium, præcipit auditionem Miſſæ in ſpiritualem utilitatem fidelium, & tamen non ideo cenſetur velle omne opus, quod utilius eſt, quando ſimul poteſt poni opus præceptum.

Quod addo; quia ſi uno & eodem tempore ponenda ſint, & ſimul poni non poſſint, ſæpè excuſatur ſubditus à ponendo opere præcepto, propter majorem utilitatem aut neceſſitatem alterius operis; v. g. non poteſt audire Sacrum, & ſimul intendere Confeſſionibus audiendis fidelium, aut ſimul aſſiſtere infirmo agonizanti, poteſt fieri, ut propter hæc opera adimplenda majoris utilitatis, & quodammodo neceſſitatis, excuſetur ab opere præcepto, id eſt, ab auditione Miſſæ diebus Dominicis vel Feſtivis. Similiter qui debet ſtudere pro Concionibus habendis, debet concionari, debet audire Confeſſiones fidelium, & non poteſt ſimul commodè jejunare, aut legere Horas Canonicas; poteſt fieri, ut excuſetur à jejunio præcepto, aut lectione Horarum Canonicarum.

332. Fieri poteſt, ut propter opus melius hìc & nunc pœnitens excuſetur pro aliquo tempore ab impletione pœnitentiæ.

Pari igitur ratione fieri poſſet, ut propter opus melius, hìc & nunc faciendum, pœnitens excuſaretur pro illo tempore ab impletione pœnitentiæ; ergo tali caſu iſtud opus melius erit Pœnitentia ſacramentalis, Negatur Conſeq. quia Pœnitentia ſacramentalis eſt opus impoſitum, ſeu præceptum à Confeſſario, conſtat autem, iſtud opus meliùs non eſſe præceptum à Confeſſario; alioquin qui tali caſu omitteret illud opus, peccaret contra præceptum Confeſſarii, quod eſt manifeſtè falſum: immo tenetur opus, aliàs expreſsè impoſitum à Confeſſario, alio tempore implere, niſi obligatio cum priori tempore expiraſſet. Ergo hìc nulla commutatio intercedit unius operis in aliud, ſed pura excuſatio, vel pro ſemper, vel pro aliquo tempore, ab opere alioquin præcepto, propter aliud opus incompoſſibile.

De hoc autem caſu hìc non quæritur, ſed an pœnitens pro libitu ſuo ex hoc præcisè, quòd unum opus ſit melius altero, poſſit relinquere opus expreſsè impoſitum, minùs conducens ad ſpirituale ejus bonum, & minùs ſatisfactorium pro pœnis temporalibus, & aſſumere aliud opus magìs utile, & magìs ſatisfactorium, benignè præſumens de voluntate Confeſſarii.

333. Materiam præcepti Eccleſiæ non licet mutare in meliorem.

Ad hanc quæſtionem, communis ſenſus fidelium ac Doctorum, & communis praxis pœnitentium, Reſpondet negativè; quia melior eſt obedientia, quàm victimæ; ùt oſtendi Concl. præc. & patet ex præceptis Eccleſiæ, quorum materiam non licet mutare, eſtò evidenter conſtaret, materiam non præceptam magìs conducere ad finem à Legiſlatore intentum; v. g. ad cultum divinum, & macerationem carnis &c.

Probatur.

Nam in puncto obedientiæ, ùt bene advertit Arriaga ſuprà n. 21. non tam conſideratur rei præceptæ bonitas (licèt etiam hæc debeat ſupponi) quàm quòd ſubditus permittat ſe regi voluntate Superioris, & ſuam voluntatem ſubjiciat alienæ: in quo puncto ſolet eſſe maxima difficultas, & conſequenter etiam magnum meritum; attenditur etiam ad hoc, ut vitetur periculum erroris, quod ſolet eſſe, quando homo, poſtpoſito Superioris mandato, ſequitur ſuum judicium, exemplo Saulis, quo Concl. præc. uſus fui. Cùm ergo hæc obligatio pœnitentiæ oriatur ex præcepto Confeſſarii, cui in eo puncto eſt ſubjectus ille, qui confitetur, neceſſe eſt, ut non ſit in hujus poteſtate, eam materiam, impoſitam pro ſatisfactione, in aliam commutare.

334. Objectio ex Villalobos.

Urget aliquis ex Villalobos ſuprà: Si pœnitens diceret Confeſſario, ſe velle commutare materiam impoſitam, v. g. tria Pater noſter, & Ave Maria, in unum Roſarium, vel in jejunium &c. deberet tenere pro bono; ergo inſcio Confeſſario per Epykiam poteſt facere talem commutationem.

Solvitur.

Reſpondeo Neg. Antec. poſſet quidem tenere pro bono, & ſæpiùs teneret: quia omittit imponere majores pœnitentias, eò quòd timeat detrectationem pœnitentis, & periculum non adimpletionis, qui timor tunc ceſſat: interim quòd ſemper debeat tenere pro bono, non puto, quia ſufficit quòd imponat pœnitentiam ſalutarem & convenientem pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, de qua convenientia ipſius eſt judicare, non pœnitentis, neque tenetur imponere maximè ſalutarem, cùm moraliter ſit impoſſibile eam dignoſcere.

Unde quamvis pœnitens ſe oſtenderet paratiſſimum, ad quæcumque opera pœnalia etiam graviſſima adimplenda, equidem Con-

feſſarii

feſſarii eſt, pro ſua prudentia hoc vel illud opus magìs aut minùs pœnale imponere: minori itaque impoſito, non eſt pœnitentis, contra expreſſam voluntatem Confeſſarii, majus aſſumere; eſto etiam Confeſſarius deëſſet officio ſuo, & majus debuiſſet imponere, cùm ſicut nemo poteſt ſeipſum abſolvere à peccatis, tametſi Confeſſarius injuſtè neget Abſolutionem, ita etiam nemo ſibi-ipſi poſſit imponere ſatisfactionem ſacramentalem remiſſivam pœnarum ex opere operato, eſtò Confeſſarius injuſtè nollet imponere ullam ſatisfactionem, vel ſaltem condignam.

335. An poſſit præſumi voluntas Confeſſarii, quando non impoſuit condignam pœnitentiam?

Planè, inquis, ſic eſt; ſed de hòc caſu non quæritur, cùm tunc non poſſit præſumi voluntas Confeſſarii circa meliorem materiam. Aliud eſt, quando pœnitens in ipſa Confeſſione non aperuit ſuam voluntatem Confeſſario, & ideo Confeſſarius, metuens periculum, non impoſuit pœnitentiam à parte rei condignam, cur enim tunc non licet præſumere voluntatem Confeſſarii circa meliorem materiam?

Videtur quòd non

Reſpondeo; poſſum quidem præſumere, quòd ſi in ipſa Confeſſione bonam meam voluntatem aperuiſſem, impoſuiſſet majorem pœnitentiam (quæ eſt voluntas præſumptá tantùm de futuro, & ideo minimè ſufficit ad imponendum præceptum, ùt Omnes admittunt) ſed nullum eſt ſufficiens fundamentum præſumendi, quod ſemel expreſsè impoſitam pœnitentiam velit in aliam commutari; immò potiùs fundamentum, contrarium præſumendi, ùtputà, quia pœnitens non eſt bonus judex in propria cauſa; ita ut meritò poſſit timeri error in judicio, quo judicat hoc vel illud eſſe meliùs omnibus conſideratis. Nunquam autem errat pœnitens, conformando ſe voluntati expreſſæ Confeſſarii, eſtò alioquin ipſe Confeſſarius erraſſet.

Deinde oſtendi non poteſt ullum Sacramentum, quod conficiatur aliquando per ſolam præſumptam voluntatem miniſtri, abſque eo quòd aliquando præceſſerit actualis voluntas. Et quamvis ſatisfactio non ſit Sacramentum, aut pars eſſentialis Sacramenti, ſed ſola integralis, equidem nulla apparet efficax ratio eam excipiendi ab illo ordinario modo adminiſtrandi partes eſſentiales Sacramentorum.

336. Reſpondetur ad rationem Portel.

Ex his facillimè reſpondetur ad rationem Portel; putà, votum poteſt commutari propriâ auctoritate in evidenter meliùs; ergo etiam Pœnitentia ſacramentalis. Reſpondetur, inquam, Neg. Conſeq. Diſparitas plana eſt; quia obligatio voti inducitur ab ipſo vovente, obligatio ſatisfactionis à Confeſſario, non à pœnitente.

Diſparitas inter votum & ſatisfactionem.

Ergo licèt vovens poſſit commutare rem, à ſe promiſſam, in meliorem; non ideo pœnitens pœnitentiam, impoſitam à Confeſſario: nam per quas cauſas naſcitur aliqua res, per eaſdem etiam diſſolvitur aut mutatur; ſicut ergo per voluntatem pœnitentis non naſcitur obligatio pœnitentiæ, ita neque per eam diſſolvitur aut mutatur; ſed per ſolam voluntatem Confeſſarii, eodem modo, ſicut in præcepto Eccleſiæ. Quia autem obligatio voti naſcitur primariò per voluntatem voventis, ita non mirum ſi per eam, accedente præſumptâ voluntate creditoris, ſeu Dei, diſſolvatur ſeu mutetur.

Igitur quemadmodùm ad commutationem voti non ſufficit præſumpta ſeu habitualis voluntas voventis, qui eſt cauſa principalis obligationis, ſed requiritur aliqua voluntas actualis: quis namque dixerit, aliquem eſſe liberum à voto recitandi unum Roſarium, eò quòd audiverit Sacrum, &, ſi occurriſſet ei ſuum votum, voluiſſet illud commutare in votum audiendi Sacrum? Pari, dico, ratione non ſufficit præſumpta ſeu habitualis voluntas Confeſſarii, qui eſt cauſa principalis, imò ſola, ùt ſic dicam, ſatisfactionis ſacramentalis, quam explicitâ voluntate impoſuit, ſed requiritur aliqua voluntas actualis, ut per eam poſſit præcedens actualis voluntas diſſolvi.

Deinde, commutans votum in meliùs, 337.
prudenter præſumit de voluntate actuali Dei, qui non quærit bonum ſuum, ſed tantùm bonum voventis; ergo cenſetur velle, quod melius eſt omnibus conſideratis, id eſt, quod eſt majus bonum voventis, quia hoc ipſi gratius eſt; promiſſio autem ſeu votum eſt de re grata Deo. Et ideo dicitur cap. *Pervenit.* 3. de jure jurando: *Non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.* Et cap. *Scripturæ.* 4. de Voto. *Reus fracti voti aliquatenùs non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.* Oſtendant Adverſarii jus aliquod, in quo dicitur: *Pœnitentiam non infringit, qui in meliorem illam commutat*, & credimus eis.

Aliàs, ſicut ſuprà dixi, imprudenter præſumitur talis voluntas Confeſſarii; quoniam faciliùs errari poteſt in illa ſubſtitutione, ſeu commutatione pœnitentiæ, quàm in commutatione voti, cùm difficiliùs ſit cognoſcere, quæ pœnitentia ſit melior tam in ratione caſtigationis, quàm medicinæ, quàm ſcire, quod opus ſit Deo gratius. Nam bonitas ſatisfactionis non ſumitur ex ſola honeſtate rei, ſecundùm ſe conſideratæ; ſed etiam ex circumſtantiis, ratione indigentiæ hujus perſonæ, ratione peccatorum, quæ tali vel tali medicinâ indigeant, de quibus meliùs poteſt judicare Confeſſarius quàm pœnitens, & ideo hæc res non à pœnitente, ſed à Confeſſario debet decidi: ſemel autem deciſa per expreſſam voluntatem Confeſſarii, non expedit eam deciſionem in dubium revocari, aut mutari ex ſolo judicio pœnitentis, eſtò conſtaret aliam pœnitentiam fore magìs gratam Confeſſario.

Enimverò pœnitentia impoſita debetur, non ſolùm ex ratione generali, quòd ſit res

grata

grata præcipienti, ſicuti debetur res promiſſa Deo ex eo quòd ſit grata Deo, ſed ex eo, quòd voluerit hanc pœnitentiam in particulari per determinatam & expreſſam voluntatem, quam non vult mutari, niſi per expreſſam ſuam voluntatem, tametſi alioquin mutatio ſecundùm ſe foret grata.

338. Objectio ex Diana.

Dices cum Diana p. 3. tract. 4. reſol. 53. Quoties quis abundantiorem ſolutionem offert pro debito, ad quam eſſet ex lege adſtrictus, legem non ſolvit, ſed abundantiùs implet; nec cenſendum erit, novam legem pœnitentem ſibi propriâ auctoritate imponere, mutando pœnitentiam, nec actum judicii exercere & jurisdictionis, ſed uberiùs implere legem, à Confeſſario impoſitam.

Prima reſponſio.

Reſp. I. Si pœnitens non imponit ſibi novam legem mutando pœnitentiam, nec actum judicii exercet & jurisdictionis; ergo nova pœnitentia non eſt præcepta; ergo non eſt ſacramentalis. Probatur prima Conſequentia; quia Confeſſarius eam non præcipit, defectu ſcilicet actualis voluntatis obligandi; ergo ſi pœnitens non imponit ſibi novam legem, nova pœnitentia non eſt præcepta: ergo non eſt ſacramentalis juxta alibi dicta.

339. Secunda reſponſio.

Reſp. II. Quoties quis non offert ſolutionem pro debito, ad quam in ſpecie ex lege Superioris eſt adſtrictus, v. g. Princeps præcipit, ut pro debito ſolvat quis annuè certam menſuram tritici, niſi offerat menſuram lege præceptam, eſtò offerat abundantiorem pecuniam, aut aliam rem majoris valoris, non implet legem, ſed ſolvit eam. Sin autem lex præſcribat ſolutionem unius floreni, ipſe autem offerat decem, indubiè tali caſu non ſolvit legem, ſed abundantiùs implet.

Et ſimiliter impræſentiarùm, ſi Confeſſarius injunxit unam Miſſam, pœnitens autem audiat duas, nullus dubitat quin ſatisfaciat ad ſuperabundantiam, argum. legis 15. ff. de

*L. 15. ff. de Annuis legatis.*

Annuis Legatis. *Eum qui rogatus poſt decem annos reſtituere pecuniam, ante diem reſtituerat: reſpondit ſi propter capientis perſonam, quòd rem familiarem tueri non poſſet in diem fidei commiſſum relictum probetur, & perdituro ei id hæres ante diem reſtituiſſet, nullo modo liberatum eſſe: quòd ſi tempus hæredis causâ prorogatum eſſet, ut commodum medii temporis ipſe ſentiret, liberatum eum intelligi: nam & plus eum præſtitiſſe, quàm debuiſſet.*

Sed de hoc caſu non quæritur, nam in eo datur ſeu offertur res præcepta, ùt patet, qui enim audit duas Miſſas, etiam audit unam, cùm binarius conſtet ex duabus unitatibus. Sed quod quæritur eſt, an quando debet jejunium, poſſit offerre auditionem Sacri, quia judicat illam meliorem, & an per illam oblationem impleat legem.

Dico; *Impleat legem*, quia poteſt pœnitens aliquid melius offerre, per quod tollat obligationem prioris legis, v. g. ſi lucretur Indulgentiam plenariam, ùt conſtabit ex infra dicendis.

Reſtat argumentum Leandri, qui, ùt ait Diana p. 9. tract. 9. reſol. 53. mordicùs docet ſententiam Portel, non tantùm ex ratione de commutante votum in melius; ſed quia ex Nugno, & Aliis, quando pœnitens oblivíſcitur pœnitentiæ injunctæ, ſi non poſſit adire primum Confeſſarium, poteſt adimplere pœnitentiam ſecundùm proprium arbitrium, conſiderando peccata confeſſa, & ſatisfactionem, quæ communiter ſolet adjungi pro ſimilibus peccatis: ergo pœnitens poteſt commutare illam. Ita Diana. Et continuò adjungit: Unde hæc ſententia habet uſque adhuc quatuor validiſſimos Patronos Villalobos, Portel, Cæleſtinum & Leandrum. 340. Argumentum Leandri;

Hos quatuor Patronos habere, nolo inficias ire, quamvis locum aut verba Cæleſtini Diana non citet, ſed illos validiſſimos eſſe, uſque adhuc non potui intelligere: ſatisfecimus quippe ſuperabundè argumento Villalobos & Portel; argumentum autem Leandri minus validum eſt. Siquidem & Antecedens negari poteſt, & Conſequentia. Antecedens quidem; quia gratìs aſſeritur, hujuſmodi pœnitentiam, ſecundùm arbitrium pœnitentis adimpletam, eſſe ſacramentalem: Conſequentia autem; quia in caſu Antecedentis non conſtat de particulari & determinata voluntate Confeſſarii, ſed ad ſummum de voluntate generali; ſecùs in caſu Conſequentis. quod Auctor oſtendit eſſe invalidum.

Quæro nunc, & pono caſum, quòd ſciam Eccleſiam aliquid præcepiſſe, dubito autem, an jejunium, an verò auditionem Miſſæ, quæro, inquam, num bene concludat hoc argumentum: tali caſu ſatisfacio alterutrum faciendo vel jejunando, vel audiendo Miſſam; ergo quando conſtat mihi præceptum jejunium, poſſum illud commutare in auditionem Miſſæ. Quis non videat infirmitatem ſeu invaliditatem hujus Conſequentiæ? Igitur quatuor illi, per me licet, ſint Patroni, ſed invalidi, ne dicam invalidiſſimi; quos proinde non judico audiendos, ſed repellendos cum communi ſententia, quæ ad commutationem pœnitentiæ ſemel determinatè impoſitæ, & de qua adhuc conſtat, poſtulat expreſſum conſenſum, vel ejuſdem, vel ſaltem alterius Confeſſarii, ùt mox ediſſero.

Equidem pœnitentiam ob cauſam mutari poſſe ab eodem Confeſſario, præſertim in Sacramento, factâ iteratâ explicatione eorumdem peccatorum, eſt communiſſima ſententia, ita ut hactenus neminem invenerim, qui id negaverit. 341. Pœnitentia mutari poteſt ob cauſam ab eodem Confeſſario in Sacramento.

Immo unum citat Diana p. 2. Tract. 1. Miſcel. Reſol. 53. qui putat id poſſe fieri ſinè cauſa, quia ſicut fuit in ejus arbitrio illam ponere, ita in eodem debet eſſe illius commutatio, nam unaquæque res propter quaſ- *Diana.*

cumque cauſas naſcitur, propter eaſdem diſſolvitur. Ita Valerus in differentiis utriuſque fori verb. *Iudex* diff. 14. nu. 5. ſi credimus Dianæ.

*Valerus.*

342. *An etiam ſinè cauſâ?* Cui ſententiæ ſubſcribo, ſi intelligas eam de commutatione valida, ita ùt pœnitens ſit tutus in conſcientia, ſi omiſsâ priori pœnitentiâ, adimpleat pœnitentiam ſubſtitutam; alioquin ſi de licita agatur, ſicut Legiſlator illicitè revocat vel mutat legem ſuam ſinè juſta cauſa, nam ad minùs eſt actus otioſitatis; pariformiter peccat, ſaltem peccato otioſitatis, Confeſſarius, qui ſinè juſta cauſa commutat pœnitentiam, ſemel legitimè impoſitam. Et veluti Legiſlator ſemper validè revocat legem ſuam, etiam abſque juſta cauſa; ita videtur, quòd idem Confeſſarius ſemper validè revocet ſuam pœnitentiam, etiam abſque juſta cauſa.

*Occurritur cuidam objectioni ex Dicaſtillone.* Admitto fieri poſſe, ut aliquis habeat poteſtatem condendi legem aut præceptum, non tamen præceptum poſitum mutandi aut temperandi: quâ ratione, inquit Dicaſtillo diſp. 14. n. 136. in Hiſpania in aliquibus pagis ſuburbanis (*Aldeas* illi appellant) poteſt judex pagi mandare, in certis præſertim caſibus, ut aliquis incarceretur; ſemel tamen incarceratum, non poteſt ampliùs liberare: admitto, inquam, ſic fieri poſſe; ſed dico, illam limitationem poteſtatis legiſlativæ ſeu præceptivæ eſſe extraordinariam, & ideo non admittendam, niſi clarè de ea conſtet: porrò non conſtat, poteſtatem Confeſſarii ſic à Deo fuiſſe limitatam; ergo non eſt, quòd nos eam hac ratione limitemus.

343. *An etiam extra Sacramentum?* Prætereà docent Multi, eumdem Confeſſarium poſſe mutare pœnitentiam quodammodo extra Sacramentum, ſi recordatur peccatorum, variant tamen in aſſignando tempore intermedio. *Sententia Suarii.* Suarez diſp. 38. ſect. 10. n. 3. Si pœnitens, inquit, ad ipſum recurrat intrà tempus adeò breve, ut moraliter poſſit idem judicium exiſtimari. *Sotus.* Ita Soto diſt. 20. q. 2. a. 3. cujus ſententia propterea mihi probatur; quia hæc res moraliter penſanda eſt, & juxta prudens & humanum judicium, & quia ſæpè ita poteſt expedire ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur: & præſertim locum habet, quando Confeſſor cauſam memoriâ retinet, & rationabilis cauſa ſubeſt mutandi judicium. Hæc ille. Qui proptereà putat, hanc mutationem non fieri omnino extra Confeſſionem, ſed potiùs in ipſa Confeſſione, quia ex vi ejuſdem Confeſſionis, & moraliter adhuc perſeverante eâdem cauſâ, & eodem judicio.

*Megala. Coninck. Henriquez. Ledeſma. Vivaldus. Valerus. Salas. Arriaga.* Porrò tempus breve Aliqui exiſtimant mediam horam, ùt Megala in 1. p. l. 6. c. 5. q. 3. n. 5. Alii unum vel alterum diem, ùt Sotus ſuprà, & Coninck diſp. 12. n. 102. Nonnulli hebdomadam unam, ùt Henriquez l. 5. de Pœnit. c. 21. §. fin. cum Ledeſma, Vivaldo, & Valero. Alii denique putant id poſſe fieri etiam poſt longum tempus, quod placet Lugoni diſp. 25. n. 112. citans n. 111. Ioan. de Salas in Manuſcriptis, quos ſequitur Arriaga diſp. 48. n. 31.

Probat Lugo ſuam ſententiam; quia non eſt ratio, cur additio vel limitatio pœnitentiæ, 344. etiam poſt longum tempus facta, non poſſit uniri moraliter ſufficienter cum partibus præcedentibus ad faciendum unum integrum judicium; nam ipſa, inquit, ſatisfactio, impleta poſt longum tempus, integrat unum judicium cum partibus præcedentibus, ùt conſtat: ergo quamdiu ſatisfactio non eſt poſita, adhuc intelligitur judicium illud incompletum, & quaſi ſuſpenſum, & adhuc Judex habet jus ad urgendum pro executione ſententiæ; ergo adhuc poterit ex conſenſu pœnitentis mutare, vel diminuere priorem ſententiam; ut poſſit meliùs executioni mandari.

Confirmatur; quia ſi Confeſſarius imponens pœnitentiam, expreſsè retineret ſibi facultatem moderandi vel mutandi poſtea illam, non videtur dubitandum, quin poſſet hoc facere; ergo præſumi poteſt, quòd ſemper virtualiter habeat aliam intentionem relinquendi ſibi talem facultatem; ſemper enim intendit ſe obligare, quàm minimum poſſit; & retinere totam poteſtatem; quam poteſt. Hæc ille.

Si inferas; ergo poterit Sacerdos poſtea pro libitu augere pœnitentiam: Reſp. Card. n. 113. Sententia ſemel legitimè prolata, & acceptata, videtur tranſire in rem judicatam quaſi per modum contractûs, ita ut non poſſit mutari, niſi ex conſenſu utriuſque; ſcilicet & Iudicis & ſubditi.

Nihilominùs hæc doctrina non placet Dicaſtilloni diſp. 14. n. 129. ubì negat paritatem inter ſatisfactionem, & additionem ſeu mutationem poſt longum tempus factam: quia, inquit, ſatisfactio eſt id, quòd manet poſt finitam ſententiam Iudicis cum ſuo tractu temporis juxta materiæ capacitatem, atque adeò non eſt functio officii, quo jam ab initio functus fuerit pœnitens, qui eſt reus in eo judicio, ſed eſt obligatio ſuſcepta impoſterùm præſtandi mandatum. Sententia verò Confeſſarii eſt quædam functio officii præſtiti tunc plenè & integrè, quo jam eſt functus ille Iudex, ùt contingit in aliis judiciis, in quibus poſtquam jam functus eſt Iudex plenè ſuo officio, & planè datâ ſententiâ, nihil ampliùs poteſt, niſi fortè aliquando propter novam cauſæ cognitionem, aut partium litigantium novam delationem, novum inſtituatur judicium, quod hìc fit à pœnitente per novam delationem per extenſum, vel per compendium, non verò ſinè hac. Hæc ille.

Exiſtimans proinde, Confeſſarium non poſſe mutare pœnitentiam ſinè nova Confeſſione, ſi pœnitens jam acceptâ Abſolutione receſſerit

*poſſe mutare pœnitentiam ſinè nova Confeſſione. cap.7. de Teſt.*

receſſerit à Confeſſario; ſecùs antequam receſſerit, quia tunc cenſetur adhuc permanere idem judicium: nam ea quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe, argum. c.7. de Teſtib. cog. ibi: *Quorum teſtimonia, ſi quandoque non ſtudiosè, ſed in proferendo erraverint, & ſe incontinenti correxerint reprobari non debent: ſecùs autem erit, ſi correctioni ſuæ interpoſuerint intervallum*

346. *Quid ſignificet in jure ly Incontinenti.*

Ubì Gloſſa verb. *Incontinenti. Id eſt*, inquit, *in eadem inſtantia iudicii, antequam loquatur partibus, vel antequam recedat à præſentia Iudicis: quia poſtea ſubornatus præſumitur; ſed hoc poſſet intelligi, habito reſpectu ad qualitatem perſonæ: ut ſic poſſit corrigere, vel addere etiam ex intervallo. Qualiter intelligatur*, Incontinenti, *probatur ff. de Verb. oblig.* Continuus actus *ff. de Adul.* Quod ait lex §. *ult. in fine C. de Errore Advoc. l. ult. & 32. q. 1.* Apud miſericordem. *& melius ſup. de Elect.* Quia propter. *ibi invenies multas expoſitiones huius verbi*, Incontinenti, *ſive mox.* Hactenus Gloſſa.

Cùm igitur ly *Incontinenti*, ſeu *Mox* (ùt refert Gloſſa cap. *Quia propter* 42. de Elect. verb. *Mox*) aliquando accipiatur pro ly *Statim*, cum quodam temperamento 10. dierum ff. de Conſt. pec. *Promiſſor*, aliquando cum temperamento unius anni 20. q. 2. *Si in qualibet*; ſubinde cum temperamento tridui C. de Jud. *Cùm ſpecialis.* Si verum eſt, quod ait Dicaſtillo ſuprà, *Ea quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe*, neſcio quare ſaltem intrà triduum non poſſet idem Confeſſarius mutare pœnitentiam, eâdem Confeſſione moraliter euſque perſeverante: nam quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe; atqui quæ fiunt intrà triduum, fiunt incontinenti; ergo videntur ineſſe; id eſt, pœnitentia impoſita vel mutata intrà triduum à Confeſſione facta, & Abſolutione accepta, moraliter ſpectat ad hoc judicium; ergo non requiritur nova Confeſſio vel Abſolutio ad illam mutationem faciendam.

347. *An requiratur ad mutationem pœnitentiæ faciendam memoria peccatorum? Arriaga.*

Sed nunquid requiritur memoria peccatorum? Hanc requiri, videtur certum, inquit Arriaga ſuprà n. 31. quia non poteſt ille exercere actum judicii, & ſuam ſententiam mutare ſinè notitia cauſæ; alioquin poterit graviſſimè errare, non minùs, quàm ſi ipſe non audiviſſet eam Confeſſionem.

Sed hoc eſt quod quæritur; an ille poſſit graviſſimè errare, qui habet notitiam pœnitentiæ priùs prudenter impoſitæ, & mutat eam in æqualem, vel etiam meliorem de conſenſu pœnitentis. Et videtur quòd non; quia, ùt ſupponitur, prior pœnitentia fuit juſtè & prudenter impoſita; ſi ergo mutat eam in æqualem, nullum omnino periculum eſt erroris; ſin autem in inæqualem majorem vel minorem, fateor poſſet eſſe aliquod periculum erroris, ſi abſque ratione in notabiliter minorem (de majori non eſt difficultas in praxi, cùm pœnitentes non quærant ordinariè, immò numquam moraliter loquendo commutationem in majorem) equidem quia ſemper ſupponitur aliqua ratio, ſaltem fragilitas pœnitentis, quæ ſi priùs cognita fuiſſet, Confeſſarius prudenter minorem impoſuiſſet pœnitentiam, ideo nunc cognitâ illâ fragilitate, poteſt prudenrer & ſinè ullo errore, pœnitentiam graviorem, priùs impoſitam, in hanc minorem mutare. Si ergo requiritur cognitio peccatorum, ultra cognitionem pœnitentiæ, ad faciendam debito modo illam commutationem, haùd equidem ob periculum graviſſimè errandi.

Ob quam ergo rationem? Reſpondet Sancius in Select. diſp. 14. n. 7. Qui commutat pœnitentiam, antiquam auferendo, novam imponit: at implicat partem ſacramentalem confici abſque toto Sacramento. Quâ ratione convictus, arbitror (inquit idem Auctor n. 8.) oppoſitam ſententiam improbabilem eſſe, etiam practicè, ſed omnino opus eſſe ad commutationem pœnitentiæ peragendam, eademmet graviora crimina ſacramentaliter narrari. Nam eſtò per principia extrinſeca, ſcilicet ob auctoritatem DD. dicimus diſp. 41. n. 7. poſſe aliquem operari juxta opinionem Aliorum, quantumvis eam reputet falſam: id tamen verum non eſt, quoties ratio omnino evidens & convincens auctoritati DD. opponitur, ùt contingit in præſenti. Hæc ille. 348. *Ratio ob quam Ioan. Sanchez putat eam requiri.*

Ego autem judico, nec propter iſtam rationem ſententiam oppoſitam eſſe improbabilem. Hinc Reſpondeo ad argumentum: Qui commutat pœnitentiam, antiquam auferendo, novam imponit; concedo Majorem: at implicat partem ſacramentalem confici abſque toto Sacramento; concedo & Minorem: ergo non poteſt fieri illa commutatio abſque iterata Confeſſione, graviorum ſaltem peccatorum; nego Conſequentiam. *Sed rejicitur ab Auctore.*

Probatur, inquis, Conſequentia; quia aliàs conficitur pars ſacramentalis abſque toto Sacramento, quoniam Abſolutio ſacramentalis præexigit Confeſſionem ſacramentalem, quæ tali caſu deeſt, ùt ſupponitur.

Reſpondeo; neque deeſt Confeſſio ſacramentalis, neque Abſolutio ſacramentalis; quia, ùt ſupponitur, præceſſit Confeſſio ſacramentalis, & præceſſit Abſolutio ſacramentalis; uſque modò autem defuit ſatisfactio, quæ eſt pars integralis illius Abſolutionis, ac proinde uſque modo manſit Sacramentum illud imperfectum integraliter, ſaltem in actu ſecundo, id eſt, ex parte pœnitentis; ſicut ergo pœnitens, hodie implens pœnitentiam impoſitam, non conficit partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed potiùs conficit, quantum eſt ex ſua parte, totum Sacramentum, quod aliàs maneret mutilum & incompletum: ita Sacerdos hodie mutans pœnitentiam antiquam, & imponens novam, non conficit partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed deſtructâ antiquâ parte 349. *In caſu propoſito neque deeſt Confeſſio ſacramentalis, neque Abſolutio.*

Sacramenti, moraliter ſeu virtualiter adhuc exiſtentis, conficit ſeu conſtituit novam partem ejuſdem Sacramenti, præſertim ſi eſt idem Confeſſarius; veluti ſi heri auditâ Confeſſione non impoſuiſſet aliquam pœnitentiam vel ex oblivione, vel ex malitia, & hodie eam imponeret, non conficeret partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed conficeret totum Sacramentum, id eſt, ex Sacramento integraliter incompleto, faceret Sacramentum integraliter completum, in quo nulla apparet implicantia.

Enimverò in hoc Sacramento poſſunt partes valde eſſe diſtantes inter ſe, nam dolor heſternus, & Confeſſio heſterna ſufficiunt ad hoc, ut hodie detur Abſolutio. Cur ergo non ſufficiat heſterna Abſolutio, ad hoc, ut hodie detur ſatisfactio, & ſimiliter, ut hodie mutetur ſatisfactio nondum adimpleta?

350. Quid ſi pœnitentia ſit mutanda ab alio Confeſſario?

Dixi; *Præſertim ſi eſt idem Confeſſarius*, quia ſi eſt diverſus, exiſtimat Lugo diſp. 25. n. 107. cum Aliis, quos citat, non poſſe eum mutare pœnitentiam priorem ab alio impoſitam, niſi audiat peccata pro quibus fuit impoſita. Probat ratione n. 108. quia Sacerdos non poteſt ſententiam proferre, aut exercere juriſdictionem in pœnitentem, niſi in hoc judicio; ſed non exercetur judicium, niſi ipſe ſe accuſet, & deferat peccata ſua: ergo non auditis peccatis, non poteſt pro illis pœnitentiam imponere: alioquin poſſet etiam pro peccatis confeſſis & pro numquam confeſſis pœnitentiam ſacramentalem imponere, quod dici non poteſt; quia causâ non cognitâ, non poteſt ſententia proferri, nec prior ſententia mutari.

Neceſſaria probatur notitia peccatorum.

Confirmatur primò.

Confirmatur I. quia Sacerdos ſecundus eatenus poteſt revocare vel mutare priorem ſententiam; quatenus cognoſcit in eodem tribunali de eadem cauſa, perinde ac ſi numquam fuiſſet judicata; hoc autem fieri non poteſt, niſi iterùm audiat eadem peccata.

Confirmatur ſecundò.

Confirmatur II. quia pœnitentia, quam ſecundus Confeſſarius imponit pro prioribus peccatis, eſt ſacramentalis; ergo eſt pars Sacramenti. Interrogo itaque, cujus Sacramenti? Non hujus ſecundi: quia non poteſt eſſe pars hujus Sacramenti ea ſatisfactio, quæ non imponitur pro peccatis confeſſis in hoc Sacramento, & quorum non datur Abſolutio: nam ſatisfactio ſequitur Confeſſionem, & Abſolutionem. Sed neque poteſt eſſe pars prioris Sacramenti; quia non eſt ex præcepto primi Confeſſarii, qui fuit ejus miniſter, ſed ex præcepto ſecundi; ergo non eſt pars illius Sacramenti. Hucuſque Lugo.

*Lugo.*

351. Sufficere confuſam notitiam non videtur improbabile.

Ubì in primis ſatìs inſinuat, id fieri poſſe ab eodem Confeſſario. De ſecundo Confeſſario quamvis ipſe ibi oppoſitum doceat, & non abſque fundamento, quæ etiam eſt communior ſententia, equidem n. 109. ob multitudinem DD. qui eamdem poteſtatem tribuunt ſecundo Confeſſario, non audet negare hanc ſententiam in praxi eſſe probabilem per principia extrinſeca, præſertim, inquit, ſi ſecundus Confeſſarius ex Confeſſione aliorum peccatorum, & ex ſtatu pœnitentis, & ipſius teſtimonio, habeat aliquam notitiam confuſam quòd plus minuſve eadem ferè fuerunt peccata præteritæ Confeſſionis. Ita limitat Fagundez de Præcep. Eccl. Præcep. 2. l. 9. c. 4. n. 22. in fine.

Et ratio eſſe poteſt: quia cum hac notitia jam poſſunt fieri materia hujus ſecundæ Confeſſionis, & Abſolutio poteſt ſuper illa cadere, ac per conſequens impoſitio pœnitentiæ novæ. Obligatio autem procurandi notitiam magìs diſtinctam, non videtur fortaſſe procedere in hoc caſu: quia in ordine ad ſatisfactionem convenientem imponendam, videtur ſufficiens illa notitia confuſa: nam de facto quando Sacerdos imponit pœnitentiam, non retinet niſi ejuſmodi notitiam confuſam peccatorum. Aliunde verò illa peccata ſupponuntur jam ſufficienter explicata diſtinctè in alia Confeſſione. Hucuſque Card.

Sed audiamus Dianam p. 2. tract. 1. Miſcel. reſol. 53. ubì poſtquam plurimos DD. enumeraſſet pro oppoſita ſententia, ſic inquit: Sed ego exiſtimo ſupradictos DD. in Cathedra vel in cella hanc opinionem docuiſſe; ſed in Confeſſionario contrariam ſententiam practicaſſe; nam onus nimis magnum eſſet pro Confeſſariis & pœnitentibus in commutatione alicujus pœnitentiæ præteritas iterare Confeſſiones.

Ideo exiſtimo probabiliſſimam eſſe illam ſententiam, quæ docet, poſſe Confeſsarios, non auditâ priori Confeſſione eorumdem peccatorum, pœnitentias commutare, & ita docet Navar. in Man. c. 26. n. 22. Tolet. in Sum. l. 3. c. 11. n. 12. Portel in addit. ad dub. reg. verb. *Pœnit. Sacram.* nu. 8. Henriquez in Sum. l. 5. de Pœnit c. 22. n. 1. Beia p. 1. caſ. 15. Raphael de Cæſare in Conſol. anim. dial. 8. c. 26. Victor. in Sum. c. 211. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de pœnit q. 4. concl. 2. in fine. Villalobos in Sum. p. 1. tract. 9. diff. 79. n. 5. Em. Sa verb. *Satisfactio* n. 5. Rodriguez in Sum to. 1. c. 56 concl. 7. n. 8. Vivaldus in Candelab. de Satisf. n. 37. Ioan. Valerus vir Doctiſſimus ubì infrà, & Alii, vel ut melius dicam communis uſus Confeſsariorum.

Et hanc etiam ſententiam probabilem & practicè ſecuram vocavit Anton. Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 6. §. 7. n. 20. in fine. & Sylvius in addit. ad 3. p. q. 18. a. 3. dub. 4. concl. 1. & ratio eſt; quia præſens Confeſsor poteſt de tota ſimul cauſa pœnitentis juxta præſentem diſpoſitionem judicare, prout magìs expedire judicaverit ipſi pœnitenti. Hactenus Diana.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

353. quorum Aliqui videntur requirere gravem cauſam. *Lugo.*

Et quamvis Lugo ſuprà nu. 107. dicat: Multi ex his Auctoribus non eam ſententiam docent univerſaliter, ſed ſolùm quando ſubeſt aliqua gravis & rationabilis cauſa, parùm refert eſtò id concederetur, de quo tamen mihi non conſtat; nam in primis Navar. Portel, Victoria univerſaliter eam docent nullâ factâ mentione gravis & rationabilis cauſæ; Sa, Toletus, Vivaldus, Fernandez & Sylvius meminerunt juſtæ ſeu rationabilis cauſæ; Henriquez, Villalobos & Rodriguez cauſæ gravis, non quaſi ſpecialiter illam requirant ad hunc caſum, ſed generaliter ad omnem licitam mutationem pœnitentiæ, eſtò priora peccata repeterentur. Alios Auctores non vidi, quia non erant ad manum, & longiùs quærere propter hanc difficultatem non judicavi neceſſarium, quia ſuppono eodem modo loqui ſicuti Auctores jam allegati.

Et dato quòd graviorem cauſam requirerent ad unam mutationem, quàm ad aliam, quid tum? Nam illa gravior cauſa non poteſt facere, ut pœnitentia nova ſit, vel non ſit ſacramentalis, ut pertineat, vel non pertineat ad hoc, vel illud Sacramentum Pœnitentiæ, quæ tamen videtur eſſe præcipua ratio propter quam communiter negatur id licere, aut validè fieri.

354. Fieri poteſt commutatio ſi peccata repetantur etjam ab æquali Confeſſario.

Si autem quæritur, quid ego ſentiam de commutatione pœnitentiæ per alium Confeſſarium? Concluſio clara eſt, videlicet, fieri poſſe talem commutationem, ſaltem ſi peccata repetantur, ita ut fiant materia novæ Abſolutionis, fortè etiam ſinè tali repetitione. Prima pars eſt communis, præſertim quando ſecundus Confeſſarius eſt Superior primi; nam quando æquales ſunt, exiſtimant Sotus 4. diſt. 20. q. 2. a. 3. & Alii hujuſmodi commutationem non valere; hâc utique ratione, quòd par in parem non habeat imperium. *Sotus.*

Fortè & ab inferiori.

Sed propter hanc rationem non judico recedendum à communi ſententia, quæ docet, perinde eſſe ſeu ſecundus Confeſſarius ſit Superior, ſeu inferior, ſeu æqualis, dummodo peccata, pro quibus pœnitentia fuit impoſita, non fuerint ex reſervatis Superiori, immo etiamſi fuiſſent reſervata, adhuc Multi docent, illam commutationem poſſe fieri ab inferiori Confeſſario, qui alioquin non habet poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis. Examinemus ſingula.

355. Probatur 1. pars.

Ratio itaque primæ partis eſt; quia in hoc Sacramento ſuppoſitâ legitimâ juriſdictione, quam inferior debet recipere à Superiore, omnes Sacerdotes ſunt æquales & ſupremi Judices ſub Chriſto, cujus vice abſolvunt & ligant; ergo ſi idem Sacerdos poteſt facere illam commutationem, eandem facere poterit Sacerdos ſuccedens in eodem tribunali ſeu munere; veluti ſecundus Epiſcopus poteſt commutare pœnam à prædeceſſore impoſitam abſque ejus injuria, iteratò causâ diſcuſsâ coram ſe, quoniam occupat locum prædeceſſoris, eiq; ſuccedit in eodem tribunali ſeu munere.

Nec dixeris; diſparitas eſt, quòd in caſu præſenti primum Sacramentum maneat mutilum & imperfectum; quippe ſecunda ſatisfactio non erit pars primi Sacramenti; quia non ab eodem miniſtro impoſita: ne, inquam, ſic argumenteris; quia tunc ſolùm inconveniens eſt, quòd Sacramentum maneat abſque hac integritate, quando ex ejus ablatione, id eſt, ex defectu ſatisfactionis priùs impoſitæ; deeſt aliquid requiſitum ad integritatem judicii; hìc autem nihil tale deeſt, quando ex commutatione ſententiæ, facta ab eodem, vel ſucceſsore Iudice in eodem tribunali, non ponitur executio ſententiæ antea prolatæ. Sicuti non manet Sacramentum mutilum ſeu incompletum, quando Pontifex conceſsâ Indulgentiâ aufert obligationem pœnitentiæ in illo Sacramento impoſitæ. 356. Occurritur objectioni.

Sed cur hoc? [illegible] deo; quia obtinetur effectus iſtius pœ[illegible]æ, id eſt, remiſſio pœnarum. Ideo quippe ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur ſatisfactio, quia abſque ea non fit plena & perfecta remiſſio peccatorum, ad quam tamen remiſſionem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt; quando ergo aliunde accipitur hæc remiſſio, non videtur Sacramentum manere mutilum, niſi tantùm materialiter, ſi ita placeat loqui, eſtò ſatisfactio impoſita non impleatur, ſaltem quando ad hoc concurrit auctoritas Confeſſarii, vel alterius Superioris: jam autem in caſu propoſito concurrit auctoritas Confeſſarii imponentis novam pœnitentiam, per quam obtinetur & ex opere operato confertur idem moraliter effectus, qui collatus fuiſſet per antiquam pœnitentiam. In caſu propoſito non manet Sacramentum mutilum.

Si hæc ſolutio non placet, dic eamdem ſatisfactionem poſse eſse partem integralem plurium Sacramentorum, ſicuti idem dolor ſufficit ad diverſas Abſolutiones, utì cum probabili ſententia dixi ſect. 4. concl. 6. Si ergo pœnitens, qui petit commutationem pœnitentiæ, eadem omnino peccata confiteatur, quæ antea confeſsus fuerat, nec illa indigeant duplici ſatisfactione, cur una ſatisfactio non ſufficiat ad complendum utrumque Sacramentum? Præſertim ſi eſt idem miniſter. 357. Eadem ſatisfactio poteſt eſſe pars integralis plurium Sacramentorum.

Immo etſi foret diverſus. Si enim ſecundus Sacerdos poteſt perficere Sacrificium Miſſæ, quod primus, peractâ ſolâ Conſecratione Corporis Chriſti, reliquerat imperfectum, propter ſubitam infirmitatem, ùt Omnes admittere debent, cur etiam ſecundus Confeſsarius non poterit perficere Sacramentum Pœnitentiæ, quod primus Confeſsarius, datâ Abſolutione, reliquerat imperfectum, propter ſubitam mortem antequam poſset imponere pœnitentiam?

Cur, inquam, tali caſu Sacerdos ſuccedens in locum defuncti, habens eamdem poteſtatem & notitiam ſaltem confúſam peccatorum non poſset imponere ſatisfactionem ſacramentalem abſque nova Abſolutione? Cur minùs hæc ſatisfactio foret complementum prioris judicii, quàm Conſecratio Sanguinis complementum Conſecrationis Corporis ſeu Sacrificii incepti in caſu præallegato? Hinc ſi idem Confeſſarius abſque nova Abſolutione poteſt commutare pœnitentiam; non ſatìs video, cur id etiam non poſſit alius Confeſſarius.

Igitur impræſentiarùm non mânet primum Sacramentum incompletum ſeu mutilum, ſed completur per novam pœnitentiam, vel eandem, per quam perficitur ſecundum Sacramentum, ſi eadem omnino peccata abſolvantur, vel diverſam, ſi præter peccata priùs confeſſa, pœnitens alia confiteatur; tunc enim Sacerdos poterit imponere unam pœnitentiam pro peccatis priùs non abſolutis, & aliam pro peccatis in præcedenti Sacramento abſolutis, ùt clarum eſt.

358. Reſpondetur ad rationem Soti.

Ad rationem Soti ſuprà: *Quòd par in parem non habeat imperium*, ùt expreſsè dicit Nicol. 3. c. *Exiit* 3. de Verb. Signif. in 6. §. *Cæterùm ſanctæ memoriæ.* ibi: *Nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit, cùm non habeat imperium par in parem.* Et colligitur ex leg. *Ille à quo* 13. §. 4. ff. Ad Senatuſconſ. Trebell. ibi: *Et dicendum eſt Prætorem quidem in Prætorem, vel Conſulem in Conſulem nullum imperium habere.*

*Cap. 3. de verb ſignif. L. 13. ff. ad Senatuſconſ. Treb.*

Ad hanc, inquam, rationem, Reſp. iſta verba Nicol. malè hùc applicari. Etenim ſecundus Confeſſarius non exercet imperium in priorem Confeſſarium, ſed in pœnitentem, quem judicat & condemnat ad hanc vel illam pœnitentiam, prout ſibi magìs expedire videtur. Et verò quia habet par imperium cum præcedente, ideo poteſt leges illius corrigere, & quia par non habet imperium in parem, ideo ait Pontifex ſuprà, S. Franciſcum non potuiſſe obligare ſuos ſucceſſores ad obſervantiam ſui teſtamenti. Ergo ſimiliter primus Confeſſarius non poterit obligare ſucceſſorem ſuum in eodem tribunali & munere ad impoſitionem ejuſdem pœnitentiæ.

359. Objectio.

Dices; ad retractandam ſeu revocandam ſententiam unius Judicis, adiri debet Superior per viam appellationis, quia æqualis id facere nequit ex cap. *Vt debitus honor* 59. de Appell. ibi: *Cùm autem ex rationabili cauſa putaverit appellandum, coram eodem Iudice cauſâ probabili appellationis expoſitâ, tali videlicet, quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari, Superior de appellatione cognoſcat.*

Reſponſio Dianæ.

Reſpondet Diana ſuprà; ſecundus Sacerdos pœnitentiam commutans, non propriè revocat ſententiam prioris, ſed ſuam profert; & hoc poſterius judicium non inſtituitur ad derogandum priori, ſed ad conſulendum pœnitenti, in cujus favorem talis iteratio conceditur; neque totum hoc efficitur per modum appellationis, ſed per modum novi judicii, æqualis judicio præcedenti, quorum judiciorum neutrum adverſatur alteri, ſed ipſum in ſua integritate relinquit. Hæc ille. Relinquit, inquam, in ſua integritate, ſublatâ tantummodo obligatione antiquæ pœnitentiæ, ſi velit pœnitens implere novam pœnitentiam.

Dico, *Si velit pœnitens* &c. nam factâ commutatione, adhuc putant Multi liberum eſſe pœnitenti, vel antiquam implere, vel novam, ita ut ad neutram determinatè obligetur, ſed indeterminatè ad alterutram; eodem modo, quo factâ commutatione voti, manet voventi liberum ad prius redire. Ita docet Suarius diſp. 38. ſect. 10. nu. 7. Reginaldus lib. 7. n. 89. & Alii quos ſequitur Dicaſtillo diſp. 14. nu. 131.

360. Factâ commutatione pœnitentiæ manet liberum pœnitenti antiquam implere. Suarez. Reginaldus. Dicaſtillo.

Ratio eſt; quia ſicut commutatio voti fit in favorem voventis, & ideo vovens poteſt illi cedere, & rurſum acceptare prius votum, ſic itidem commutatio pœnitentiæ fit in favorem pœnitentis, cui proinde poteſt cedere, & rurſum acceptare priorem pœnitentiam, quæ potius erat ſuſpenſa, quàm totaliter extincta. Siquidem non tollitur abſolutè prius præceptum Confeſſarii, ſed ſolùm ſub conditione, ſi pœnitens velit obedire præcepto ſecundi Confeſſarii; & ſimiliter non imponitur abſolutè præceptum ſecundi Confeſſarii, ſed ſolùm ſub conditione, ſi pœnitens nolit adimplere præceptum primi Confeſſarii.

Probatur.

Contrarium inſinuat Lugo diſp. 25. n. 103. ubì docet, non ſufficere quòd idem, vel alius Sacerdos audiat de novo eadem peccata, & aliam pœnitentiam imponat; ſed neceſſarium eſſe, ut habeat expreſſam voluntatem, priorem pœnitentiam in hanc commutandi, alioquin poſſet pœnitens, inquit ille, relictâ poſteriori pœnitentiâ adhærere priori, quæ nondum revocata eſt per ſecundam.

361. Contrarium inſinuat Lugo.

Reſpondeò; poſſet omnino adhærere, tametſi Confeſſarius habuiſſet expreſſam voluntatem commutandi, ùt jam diximus, & probavimus exemplo voti, ac proinde ex eo, tamquam inconvenienti, malè probatur neceſſitas expreſſæ voluntatis commutandi unam pœnitentiam in aliam. Ex quo ergo? Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 119. quia cùm prior pœnitentia ſit pars alterius Sacramenti, & alterius judicii ritè peracti, non ex eo tantùm, quòd iterùm peragatur aliud judicium, debet pœnitentia & ſententia alterius cenſeri revocata.

Reſponſio. Dicaſtillo.

Sed hoc eſt quod quæritur; cùm enim, ùt vult Suarius ſuprà, poſterior Confeſſarius non revocet propriè ſententiam prioris, ſed ſuam tantùm proferat, ſic ut pœnitenti liberum maneat eligere pœnam, quam voluerit, unde probatur, quòd non ſufficiat nuda iteratio judicii,

362. An requiratur expreſſa voluntas commutandi?

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

dicii, ſuper eamdem cauſam? Ideo, niſi dixeris, hìc intercedere propriè dictam revocationem, ſeu correctionem prioris pœnitentiæ ſeu ſententiæ (utì quando loco præcedentium Judicum in eodem tribunali externo ſunt alii ſubſtituti, qui in reviſione ſententiam priorum propriè revocant, & corrigunt, ita ut non ſit liberum partibus à poſteriori ſententia reſilire) difficulter mihi probaveris neceſſitatem expreſſæ voluntatis commutandi unam pœnitentiam ſacramentalem in aliam.

Unde pœnitens nihil dicens ſecundo Confeſſario, ſed ſimpliciter confitens eadem peccata, manebit ex vi ſecundæ pœnitentiæ liber à priori. Quid miraris? Nam per ſecundam pœnitentiam aufertur illa pœna, propter quam remittendam impoſita erat prima pœnitentia; ſicut ergo ceſſat obligatio primæ pœnitentiæ, quando per Indulgentiam remittitur eadem pœna, quæ alioquin remittenda erat per illam pœnitentiam, quid ni etiam ceſſet, quando illa pœna remittitur per ſecundam pœnitentiam ſacramentalem? Non video ullam diſparitatem, neque difficultatem, quæ mereatur ulteriorem inquiſitionem.

363. Quid ſi peccata fuiſſent reſervata, & 2. Confeſſarius non haberet poteſtatem reſervatorum?

Pergamus itaque ad alia; & videamus, ſi præcedens doctrina ſit vera, tametſi peccata, pro quibus primus Confeſſarius impoſuit pœnitentiam, fuiſſent reſervata, & Confeſſarius ſecundus non haberet poteſtatem abſolvendi à reſervatis.

Suarius ſuprà n. 14. cum Aliis, quos citat, exiſtimat per ſe loquendo & jure ordinario tali caſu ſecundum Confeſſarium non poſſe pœnitentiam prioris commutare. Quia, inquit, inferior per ſe non habet juriſdictionem in illa peccata, præcisè ſpectata quatenus talia ſunt, ſeu quatenus commiſſa ſunt: ergo non poteſt pœnitentiam mutare, quæ pro illis ſic ſpectatis fuerat impoſita. Probatur Conſequentia; quia non poteſt pœnitentiam ſacramentalem injungere pro peccato, niſi qui poteſt abſolvere à peccato; nam ſatisfactio ſacramentalis ab eadem juriſdictione & poteſtate ligandi ac ſolvendi manat, & conjuncta eſt Abſolutioni, ùt acceſſorium principali: atqui ſecundus Confeſſarius non poteſt abſolvere à peccato reſervato, niſi ex ſuppoſitione prioris judicii; ergo neque pœnitentiam imponere; ergo non poteſt pœnitentiam mutare, quia mutatio pœnitentiæ non fit niſi per impoſitionem novæ pœnitentiæ. Ita argumentatur Suarius.

Suarez probat tali caſu 2. Confeſſarium non poſse commutare.

Duplex confirmatio.

Et duplicem ſubjungit confirmationem. Prima ex ratione, quia pœnitentia impoſita à Superiore, includit quoddam præceptum à Superiore impoſitum; inferior autem non poteſt præceptum Superioris mutare per ſe loquendo. Secundam accipit ex jure Canonico cap. *Accedens.* 10. diſt. 50. cap. *Tempora.* 2. 26. q. 7. & cap. *Latorem.* 15. 33. q. 2. Ubì Pontifex conceſſit Epiſcopo ſpecialem facultatem ad minuendam pœnitentiam à ſe impoſitam ſub certis limitationibus & conditionibus: ergo ſignum eſt (quod etiam notavit Gloſſa in dicto cap. *Latorem*) hoc non poſſe inferiorem facere jure ordinario: ſed ſolùm quatenus à Superiore intelligitur conceſſum.

His non obſtantibus, contrariam ſententiam amplectitur Vaſquez q. 94. a. 2. dub. 3. n. 9. dicens: Hâc poſitâ probabilitate (ſcilicet, quòd ſecundus Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, impoſitam pro peccatis non reſervatis) conſequenter idem dicendum eſt de pœnitentia, in mero foro interiori impoſita pro reſervatis, ſicut pro aliis. 364. Contrariam ſententiam amplectitur Vaſquez.

Probatur.

Reſervatio enim non videtur facere ſententiam magìs irrevocabilem, tantùm impedit, ne ſtante reſervatione, aliquis poſſit abſolvere illa peccata; jam verò ſemel abſoluta quoad culpam, & impoſitâ pœnitentiâ, iterùm poteſt pœnitens illa confiteri, & ab alio accipere pœnitentiam; cur ergo non commutabitur illa pœnitentia prior, ſi commutatur, quoties caſus non erant reſervati? Hæc ille.

Eandem ſententiam docent apud Dianam Fernandez & Valerus apud Dianam.

Eandem ſententiam docent apud Dianam ſuprà Fernandez in inſtruct. confeſſ. p. 1. docum. 7. n. 5. & Joan. Valerus in differ. utriuſque fori verb. *Iuriſdict. differ.* 1. n. 7. Et ratio, inquit Diana, eſt; quia conſtat, quòd per Abſolutionem caſuum reſervatorum, remanent illa peccata non reſervata; ergo conſequenter non remanebit reſervata pœnitentia pro eis impoſita, hæc ſententia eſt probabilis & tuta in praxi. Ita hic Auctor.

Item Dicaſtillo.

Et ex Recentioribus eam defendit Dicaſtillo diſp. 14. n. 120. & ſequentibus. Probat autem tum ratione Vaſquezii mox allegatâ; tum quia ablatâ reſervatione per priorem Abſolutionem, manent illa peccata ſicuti cætera peccata communia, non minùs quàm ſi nunquam fuiſſent reſervata, ac proinde tunc nullus Judex eſt ſuperior altero, ſed uterque habet æqualem poteſtatem & idem tribunal.

365. Confirmatio prima.

Confirmatur primò; quia ablatâ reſervatione per invalidam Abſolutionem, poteſt inferior abſolvere ab illo peccato, & dare pro ipſo pœnitentiam, quam ipſe judicaverit, independenter ab ea pœnitentia, quam in illa Confeſſione invalida dedit Superior.

Quâ etiam utitur Bonacina, juſtâ interveniente cauſâ.

Quo argumento etiam utitur Bonac. de Pœnit. diſp. 5. qu. 5. ſect. 3. p. 3. nu. 6. ubì cenſet, Confeſſarium inferiorem poſſe pœnitentiam, pro reſervatis à Superiore injunctam, commutare juſtâ interveniente cauſâ, qualis, inquit, eſt pia utilitas pœnitentis, vel neceſſitas, vel magna difficultas in perficienda pœnitentia, arbitrio prudentis Confeſſarii, qui non debet ſe facilem præbere in mutanda & minuenda pœnitentia, ne pœnitentes occaſionem arripiant, non adimplendi pœnitentias, ùt communiter obſervant DD. Hæc ille.

Sed

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

366. Quod non negat Suarius.

Sed nunquid, interrogat quiſpiam, id negat Suarius? Conſule eum ſuprà nu. 15. & dicet tibi: Addunt Auctores citati limitationem, niſi neceſſitas, vel pia utilitas aliud poſtulet: nam tunc piè præſumitur, hanc eſſe intentionem Superioris, propter quam limitationem nos addidimus illas duas particulas: *Per ſe*, &: *Iure ordinario*. Unde eſt notanda in primis differentia inter peccata reſervata, & non reſervata, quòd in non reſervatis poteſt fieri commutatio per ſe, & ex vi propriæ juriſdictionis, & non tantùm ex virtuali commiſſione, aut interpretativa voluntate prioris Confeſſarii.

Et licèt fortè requiratur aliqua rationabilis cauſa, ut id fiat ordinatè, ne detur occaſio pœnitentibus facilè procurandi hujuſmodi commutationes: non oportet tamen, ut tanta ſit cauſa, quæ moralem neceſſitatem inducat, aut quæ obliget ad conjecturam faciendam de alterius Confeſſôris voluntate. In caſibus autem reſervatis oportet hanc neceſſitatem intervenire, & conjecturam moralem facere de Superioris voluntate. Ita Suarius.

367. Reſponſio Averſæ ad argumentum Bonac. & Dicaſt.

Porrò ad argumentum iſtud Bonac. & Dicaſt. reſpondet Averſa q. 13. de Satisf. Sect. 8. §. *Sed tamen.* Etiamſi Confeſſio facta Superiori, & Abſolutio ab eo data, fuerit nulla; & pœnitens jam poſſit ea peccata reſervata liberè alteri confiteri, ita ut ſaltem ea Confeſſio illi valeat pro ablatione reſervationis; adhuc, inquam, ſub obligatione manet pœnitentia à Superiore impoſita, nec poteſt ab inferiori commutari, ſed debet ab ipſo inferiori denuò confirmari, ſicut ſi ſibi conceſſa fuiſſet licentia abſolvendi cum taxatione talis pœnitentiæ, ne melioris conditionis ſit qui invalidè, quàm qui validè apud Superiorem confeſſus fuerat. Ita præfatus Auctor.

Impugnatur.

Sed, inquis, faciliùs eſt aliquid dicere, quàm efficaciter idipſum probare. Et ſanè quomodo pœnitentia poteſt adhuc manere ſub obligatione, quæ numquam fuit ſub obligatione? Quod autem numquam fuerit, probatur; quia acceſſorium ſequitur ſuum principale; ſi ergo Abſolutio fuit invalida, quæ eſt principale, etiam invalida fuit pœnitentia, quæ eſt acceſſorium, ùt Suarius ſuprà docet; ergo nulla ejus obligatio ex tali impoſitione ſeu Abſolutione.

368. Non valet ſimile quod adducit Averſa.

Nec valet illud ſimile: *Sicut ſi ſibi* &c. alioquin etiam qui haberet poteſtatem in reſervata, deberet eandem pœnitentiam confirmare: nam & huic poteſt Superior præſcribere ſeu taxare certam pœnitentiam, imponendam pro reſervatis. Gratìs ergo aſſeritur, illam invalidam impoſitionem pœnitentiæ, eſſe validam taxationem pœnitentiæ, poſtmodùm imponendæ ab illo Confeſſario, qui validè eundem pœnitentem abſolvet. Alioquin ipſe pœnitens deberet declarare pœnitentiam ſibi impoſitam in prima Confeſſione, nec ſufficeret ſimpliciter confiteri invalidam Confeſſionem, quod videtur eſſe contra praxim omnium pœnitentium, & Confeſſariorum.

Neque ideo erit melioris conditionis, qui invalidè fuit confeſſus, quàm qui validè: quia ille, velit nolit, debet iteratò ſua peccata explicare ſeu confiteri; hic autem non, niſi velit accipere commutationem pœnitentiæ, quam etiam poteſt probabiliter accipere ab inferiori, & fortè ſinè iterata explicatione peccatorum, ùt conſtat ex dictis; ergo ejus conditio multò melior eſt. Igitur corruit reſponſio Averſæ.

Corruit planè, ſi verum eſt, quòd Superior, invalidè abſolvens, non obliget ad pœnitentiam. An autem hoc verum ſit, patebit ex dicendis proprio loco.

Interim confirmatur ſecundò ſententia Vaſquezii à ſimili in commutatione voti reſervati; 369.
nam ſecundum votum, alioquin non reſervatum, in quod præcedens reſervatum à Pontifice fuit commutatum, poteſt ab Epiſcopo, & aliis habentibus facultatem commutandi non reſervata, iterùm & iterùm commutari, ùt communiùs docent Theologi, etſi nonnulli Canoniſtæ contradicant, cauſantes ſubrogatum debere ſapere naturam ejus, pro quo ſubrogatur.

Sed non ſunt audiendi: quia hoc intelligendum eſt de eo, quod per ſe & intrinſecè pertinet ad talem ſubrogationem, non verò quoad ea, quæ ſunt extrinſeca, & à lege aut voluntate extrinſeca provenire poſſunt. Sic ergo in præſenti ſufficit, quod materia, quæ ſubrogatur, ſit apta ad cultum Dei, & quod cadat ſub obligationem Religionis; quod autem ſit reſervata vel non, eſt quid extrinſecum, & ideo non pertinet ad ſubrogationem, maximè cùm reſervatio ſit odioſa, & numquam per Pontificem id fuerit declaratum.

Quidquid ergo ſit de hoc Antecedente, 370.
quod Suarez ſuprà n. 16. cenſet valde probabile, nihilominus negat hic Auctor Conſequentiam, ſcilicet, ergo inferior poteſt per ſe & jure ordinario mutare pœnitentiam impoſitam pro reſervatis. Rationem differentiæ aſſignat; quia per commutationem voti non imponit Superior aliquod præceptum, ſed tantùm mutat materiam, & obligatio relinquitur ex vi voti, quod juxta materiæ qualitatem ſubjicitur poteſtati commutandi, vel diſpenſandi, quam habet Sacerdos. Quando verò Superior pœnitentiam imponit, ſuâ auctoritate & juriſdictione imponit ſpecialem obligationem & præceptum, quod ab inferiori mutari non poteſt. Hæc ille.

Sed contrà primò; fieri poteſt, ſecundùm Suarium, ut Superior non præcipiat pœnitentiam, ſed tantùm conſulat; ergo ſaltem illo caſu non valet hæc differentia. Secundò, etiam Superior imponit præceptum, quando

imponit

imponit pœnitentiam pro peccatis non reſervatis, & tamen illud mutari poteſt ab inferiori.

371. *Evaſio.* Planè, inquis; ſed differentia eſt, quòd tunc non imponat præceptum ùt Superior, ſed ùt æqualis; at verò quando præcipit pœnitentiam pro reſervatis, præcipit ùt Superior.

*Præcluditur.* Reſpondeo; eſt petitio principii, nam hoc eſt quòd quæritur, an præcipiat tunc ùt Superior, id eſt, an ſublatâ reſervatione peccati per Abſolutionem, pœnitentia maneat reſervata. Et verò non manere videtur colligi ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. ubì explicans reſervationem caſuum ſic inquit: *Quoniam natura & ratio iudicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Vnde meritò Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſervare.*

*Solum peccatum reſervari probatur ex Trident.*

In quibus verbis, ùt vides, non fit expreſſa mentio impoſitionis pœnitentiæ, ſed Abſolutionis. Et cùm aliunde reſervatio ſit odioſa, quidni meritò reſtringatur ad reſervationem Abſolutionis tantùm, juxta Reg. juris 15. de Reg. juris in 6. *Odia reſtringi* (ſcilicet intrà proprietatem verborum, & niſi ſequatur aliquod abſurdum) *& favores convenit ampliari?*

*Reg. 15. de Reg. Juris in 6.*

372. *Objectio.* Dices; hìc ſequitur aliquod abſurdum ex iſta reſtrictione: immo contrarium videtur ſatìs clarè ſignificari illis verbis Concilii: *Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere &c.* quod non eſſet, niſi propter pœnitentias varias imponendas; unde illuditur illius judicium, ſi poſtea ejus pœnitentia commutari poteſt.

*Solvitur.* Reſpondetur: per reſervationem primò hoc habetur, quòd nunquam tolli poſſit aut commutari obligatio comparendi coram Superiore, & ab eo accipiendi Abſolutionem à culpa. Secundò, quòd peccatores arceantur à gravioribus criminibus, quia ſciunt eſſe ſummis Sacerdotibus reſervata: nam ipſa ſola comparitio moleſtiſſima eſt. Tertiò, quòd ad ipſos accedentes, qui talia habent crimina, ſalubria monita accipiunt, & quæ magìs eis proſunt, & in majori apud eos ſunt æſtimatione, quòd ſint à ſummis Sacerdotibus aut Prælatis, quàm ſi eſſent à quocumque communi Sacerdote. Hæc autem omnia quis non videt pertinere ad Chriſtiani populi diſciplinam, tametſi hujuſmodi pœnitentes non maneant perpetuò obligati peculiari pœnitentiâ ipſius ſupremi Sacerdotis?

Iis etiam addendum, inquit Vaſquez ſuprà n. 373.
10. quòd quamvis motiva ratio reſervandi peccata, hæc debeat eſſe; tamen poteſtas reſervandi non eſt ex eo, quia auctoritas ſupremi Sacerdotis ſit ſuperior auctoritate alterius inferioris in foro pœnitentiæ, ut ita ſibi reſervet judicium illud, quaſi ſuperiori poteſtate ferendum, quod nullo modo tolli aut commutari poſſit; ſed quia Superior aut applicat materiam Sacerdoti inferiori, ut ei, cui ex commiſſione concedit poſſe abſolvere; aut applicatam à Pontifice, ùt ordinariis Paſtoribus, nihilominùs limitare poteſt quicumque ſuperior Sacerdos, ùt Prælati; unde reſervantes ſibi quædam peccata, limitant materiam ſubjectam aliis Sacerdotibus. Non ergo ideo reſervant, quaſi eorum poteſtas ſit ſuperior in abſolvendo à peccatis, & imponendo pœnitentiam, ſed ratione dictâ. Hucuſque Vaſq.

*Ex quo ſit poteſtas reſervandi peccata ex Vaſquez.*

Breviter; Superior limitat jurisdictionem inferioris ſubtrahendo materiam: interim poteſtas abſolvendi in omnibus eſt æqualis, ſuppoſitâ ſubjectione materiæ. Dictum quippe eſt omnibus æqualiter: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ioan. 20. v. 22. & 23. *Ioan. 20.*

Itaque Abſolutio reſervata eſt, non pœnitentia, ſuppoſitá Abſolutione, ita ut ſi per oblivionem, vel malitiam Superior abſolviſſet à caſibus reſervatis abſque impoſitione pœnitentiæ, pœnitens non teneretur recurrere pro pœnitentia ad Superiorem, ſed quilibet inferior poſſet eam imponere. Ergo etiam poteſt mutare impoſitam à Superiore ex ſuppoſitione prioris Abſolutionis. 374. *Sola Abſolutio eſt reſervata non pœnitentia.*

Et ſic patet veriſſimum eſſe, quòd nemo poſſit imponere, vel mutare pœnitentiam, niſi qui poteſt abſolvere, quia ex ſuppoſitione prioris Abſolutionis poteſt inferior abſolvere; ergo etiam imponere pœnitentiam novam; ergo pœnitentiam antiquam mutare; quia *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Reg. 42. de Reg. Iuris in 6. nova autem pœnitentia ſeu mutatio antiquæ pœnitentiæ eſt acceſſorium Abſolutionis. *Reg. 42. de Reg. Iuris in 6.*

Dices; quia impoſitio pœnitentiæ eſt acceſſorium Abſolutionis, ideo reſervatâ Abſolutione, cenſetur etiam reſervata impoſitio novæ pœnitentiæ, & per conſequens mutatio pœnitentiæ, ùt ſuprà argumentabatur Suarius. 375. *Objectio.*

Reſpondeo concedendo totum; quamdiu manet reſervatio Abſolutionis à peccatis; ſicuti quamdiu manet reſervatio excommunicationis, manet reſervatio Abſolutionis à peccatis. Abſolvat Superior ab excommunicatione reſervata, & ecce tollitur reſervatio Abſolutionis à peccatis. Ergo ſimili ratione ſublatâ reſervatione Abſolutionis à peccatis, tollitur reſervatio pœnitentiæ. *Reſponſio.*

Ponamus caſum, quòd Superior, ſtatim poſt Abſolutionem ab excommunicatione, propter quam peccatum reſervatum eſt, moriatur, antequam poſſit abſolvere à peccato; putas quia pœnitens debeat recurrere pro Abſolutione ab illo peccato ad alium Superiorem? Clarum eſt, quòd poſſit abſolvi ab inferiori. Quare? Quia reſervatio peccati ablata eſt per Abſolutionem à Cenſura.

Cur ergo ſi Superior moriatur poſt Abſolutionem à peccato reſervato, ante impoſitionem pœnitentiæ, non poterit inferior imponere pœnitentiam pro hujuſmodi peccato? Non apparet ulla diſparitas. Ergo licèt Superior impoſuiſſet ſeu præcepiſſet aliquam pœnitentiam, poterit inferior illam mutare, quia non præcepit tamquam Superior, ſed tamquam æqualis in foro pœnitentiæ, ſeu foro interiori.

376. Inferior non poteſt mutare pœnitentiam Superioris in foro externo.

Dico; *In foro pœnitentiæ, ſeu foro interiori*; quia in foro exteriori indubiè præcipit tamquam Superior, ut proinde inferior in hoc foro nequeat mutare pœnitentiam Superioris, niſi de ejus licentia. Ex quo feſtinè cognoſcitur, quid reſponderi poſſet ad jura, quæ Suarius ſuprà allegat in ſecunda confirmatione ſuæ ſententiæ, nimirum, quòd loquantur etiam de pœnis impoſitis in foro exteriori; ſeu extra Sacramentum Pœnitentiæ. Exſcribo ſingulorum verba.

De hoc foro intelligitur cap. 10. diſt. 50.

*Pervenit namque ad nos, quià, poſtquam pro crimine lapsûs ſui à Sacerdotii Ordine eſt dejectus, ad explendum miniſterium Sacerdotii præſumpſit accedere, & omnipotenti Deo hoſtias immolare. Quòd ſi ita factum fraternitas veſtra repererit, eum ſacri Corporis & Sanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat; ita ut uſque ad diem obitûs ſui in eadem excommunicatione permaneat, & Viaticum tantùm exitûs ſui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juſtè ad recipiendam inter laicos Communionem, & ante exitum debeat miſereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus poteſtate.* Ita Greg. Pontifex Venantio Lunenſi Epiſcopo l. 4. Epiſt. 5 ſeu c. 49. & refertur diſt. 50. cap. *Accedens* 10. Ubì Gloſſa verb. *In tuæ. Ergo Epiſcopus poteſt remittere pœnitentiam, injunctam à Papa. Sic* 33. q. 2. *Latorem.* ſequentis tenoris:

377. Item cap. Latorem 33. q. 2.

*Latorem præſentium matricidam eſſe cognovimus. Cui præcipimus, ùt ſub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed antè fores Baſilicæ orans & deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo introëundi in Eccleſiam licentiam habeat, tamen inter audientes ſtet, ſed nondum communicet* &c. *Tamen ſi illius converſionem & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humaniùs circa eum veſtra ſolicitudo pervigil appareat, mitiſque omnibus demonſtretur.* Ita Nicol. Papa Rhatoldo Epiſc. ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis. Ubì Gloſſa verb. *Converſionem. Poteſt ergo Epiſcopus causâ cognitâ relaxare de pœnitentia, quam Papa impoſuit. Eâdem ratione & Clericus de ea, quam Epiſcopus impoſuit, ſed dic quòd Papa licentiam dedit de hoc.*

Quantùm ad cap. *Tempora*, quod eſt Leonis Papæ Epiſt. 57. aliàs 79. ad Nicetam Epiſc. c. 6. hæc ſunt ejus verba: *Tempora pœnitudinis habitâ moderatione conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos: pariter etiam habens ætatis ſenilis intuitum & periculorum quorumcumque aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates. In quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per Sacerdotalem neceſſitudinem Communionis gratiâ ſubveniri.* Ubì Gloſſa verb. *Tuo judicio. Ex hoc patet, quòd pœnitentiæ omnes ſunt arbitrariæ. Unde Epiſcopus poteſt diminuere pœnitentiam, quam indixit Papa ùt* 33. q. 2. Latorem. *Sicut Procurator ex cauſa poteſt mandare contrarium illius, quod mandavit dominus ùt ff.* Mandati. Si hominem.

Omitto in his juribus non fieri ullam diſtinctionem inter peccata reſervata, & non reſervata, ſive inter pœnas impoſitas pro peccatis reſervatis, & pœnas impoſitas pro peccatis non reſervatis; ergo inferior, vel omnes poteſt commutare, vel nullas. Poſſe aliquas admittit Suarius, ergo malè adfert iſta jura, ut probet non poſſe commutare pœnas impoſitas pro peccatis reſervatis. Hæc ſufficiant ad oſtendendam probabilitatem ſententiæ Vaſquezii & Aliorum.

Ex qua ſententia ſequitur, ſimplicem Sacerdotem, eſtò non poſſit abſolvere à peccatis mortalibus; poſſe tamen mutare pœnitentiam pro his impoſitam ex ſuppoſitione Abſolutionis: quia comparatione peccatorum mortalium, ſemel legitimè abſolutorum, ſicut & venialium, ille etiam eſt judex. Ita docet Sancius in Select. diſput. 14. n. 14. poſtquam n. 13. docuiſſet ſententiam Vaſquezii de peccatis reſervatis.

Poſſe, inquit ille n. 14. ſimplicem Sacerdotem mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ jam ſunt confeſſa, ex dictis principiis neceſſariò fore inducendum exiſtimo, cùm jam reſpectu ſimplicis Sacerdotis ea reſervata non ſint. Nec video quânam ratione Suarius Tom. de Pœnit. Diſput. 38. Sect. 10. in fine aſſerat, oppoſitum fateri Diverſos; cùm potiùs id admittere debeant, dicentes poſſe inferiorem mutare pœnitentiam pro reſervatis injunctam. Hæc ille. Quem ſequitur Diana p. 3. tract. 4. reſol. 53. §. *Notandum.* Dicaſtillo diſp. 14. n. 123. Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 4. de Satisf. n. 33.

Illud pro fine hujus Concluſionis & Sectionis addiderim, quæ hucuſque dicta ſunt de commutatione pœnitentiæ, intelligi poſſe etiam

*nitentia merè præſervativa.*

etiam de pœnitentia merè præſervativa, præſertim quando non eſt omnino neceſſaria, ſed tantùm utilis ad vitandum peccatum in futurum; immo tametſi ita foret neceſſaria, ut ad eam pœnitens obligaretur independenter à præcepto Confeſſarii, v. g. reſtitutio rei injuſtè ablatæ, vitatio occaſionis proximæ peccandi &c. non quòd idem vel alius Confeſſarius poſſit auferre obligationem naturalem reſtituendi rem injuſtè ablatam, ſed quia poteſt auferre obligationem poſitivam, ſi quæ præcisè reſultet ex impoſitione hujuſmodi pœnitentiæ in Sacramento Pœnitentiæ. Quidni poſſit auferre, ſicut potuit non imponere?

381. *An poſſit validè auferri ſinè cauſa? Negat Dicaſtillo.*

Quia, inquis, ablatio ſemper eſt illicita, quoniam primum Sacramentum manet imperfectum, ergo non videtur credibile, quòd Chriſtus dederit poteſtatem ad id; atque adeò in tali caſu non ſolùm erit illicita ablatio prioris pœnitentiæ, ſed etiam invalida, ita ut quantumvis ſecundus Confeſſarius auferat pœnitentiam prioris Sacramenti, ſemper illud Sacramentum maneat mutilum in ratione judicii, non impletâ ſententiâ ex ea parte & conſequenter irreverentia fiet Sacramento. Ita diſcurrit Dicaſtillo diſp. 14. n. 145.

*Contrà arguitur.*

Sed contrà; etiam quando Confeſſarius non imponit pœnitentiam, manet Sacramentum mutilum in ratione judicii, & conſequenter fit irreverentia Sacramento, & nihilominus valet illa non impoſitio, ita ut quamvis omittendo reſtitutionem, pœnitens peccaret contra obligationem naturalem reſtituendi injuſtè ablatum, tamen non peccaret contra Sacramentum & virtutem Religionis.

382. *Reſponſio Dicaſtillonis.*

Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 146. Aliud eſt non imponere præceptum, cùm poſſet aut etiam deberet; aliud verò poſitum, & ritè poſitum, & tamquam partem judicii peracti conſtitutum, abolere & tollere in alio judicio contra fas & per ſummum nefas, ad quod accepiſſe poteſtatem à Chriſto, ut auctoritate Chriſti & judicando loco Chriſti poſſit facere, non videtur credibile, nec tollitur deformitas judicii mutili, ùt dictum eſt. Ita præfatus Auctor.

*Rejicitur.*

Sed fruſtrà; quia non eſt minor deformitas, aut minus nefas non imponere præceptum, cùm poſſet & deberet imponi, quàm præceptum ſemel ritè impoſitum, tamquam partem judicii peracti, abolere & tollere in alio judicio; ſi ergo Sacerdos accepit à Chriſto poteſtatem, ut auctoritate Chriſti & judicando loco Chriſti, poſſit abſolvere non impoſitâ ex pura malitia ullâ ſatisfactione, ſive præſervativâ ſive vindicativâ, adeòque relinquendo Sacramentum abſolutè imperfectum & mutilum, maximè credibile eſt, etiam accepiſſe poteſtatem, ut auctoritate Chriſti, & judicando loco Chriſti, poſſit pœnitentiam ſeu ſatisfactionem impoſitam in hoc judicio, in ſequenti judicio abolere & tollere. Alioquin ſequitur, Confeſſarium non poſſe ullam pœnitentiam ſive præſervativam; omnino neceſſariam, aut ſolùm valde utilem, ſive vindicativam ſinè cauſa validè tollere, quia ſemper manet Sacramentum mutilum.

383. *Totum poteſt facere Confeſſarius in 2. Confeſſione, quod poterat in prima.*

Mea ergo reſolutio eſt; totum poſſe facere Confeſſarium in ſecunda Confeſſione, quod poterat in prima, adeòque ſemper validè poſſe auferre pœnitentiam, ſemel ritè impoſitam, ſicut poterat validè eam non imponere; & licitè eam auferre in illis circumſtantiis, in quibus licitè poterat eam non imponere. Tenetur quippe Confeſſarius juxta Trident. ſeſſ. 14. c. 8. imponere pœnitentias; tum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam. Et ſi alterum deſit ſinè juſta cauſa, ipſe deeſt ſuo officio, & peccat, interim, ùt per ſe patet, pœnitens nec obligatur ad unam, nec ad alteram, ſi non fuerit impoſita licitè, vel illicitè.

*Pœnitens peccat, ſi abſque cauſa procuret ablationem pœnitentiæ.*

Sic tamen, ut pœnitens peccet contra reverentiam Sacramenti, ſi abſque cauſa procuret ablationem pœnitentiæ, ſicuti peccaret ſi abſque cauſa impediret primam impoſitionem pœnitentiæ. Probatur à ſimili. Docent Multi, diſpenſationem in lege propria ſinè juſta cauſa, tametſi ſit illicita, equidem valere. Diſpenſet igitur ſinè juſta cauſa legiſlator, diſpenſatus liber eſt ab obligatione legis, & per conſequens non obſervando legem minimè peccat contra illam legem; attamen ſi procuraverit illam diſpenſationem, in hoc procùl dubio peccavit, quia cooperatus fuit poſitivè peccato Legiſlatoris.

Ergo ſimiliter, eſtò pœnitens, qui ſinè juſta cauſa petit ablationem pœnitentiæ priùs impoſitæ, illâ obtentâ non peccet, omittendo pœnitentiam primò impoſitam, contra integritatem Sacramenti, quoniam tametſi eam impleret, non ideo perficeret Sacramentum; cùm ampliùs non ſit pœnitentia ſacramentalis; nihilominus peccavit contra reverentiam Sacramenti, procurando illam ablationem, quæ, ùt ſuppono, fuit contra reverentiam Sacramenti.

384. *Poteſt ſubinde licitè auferri aut mutari pœnitentia medicinalis ab eodem vel diverſo Confeſſario.*

De cætero fieri poteſt, ut pœnitentia aliqua, impoſita ad infirmitatis medicamentum, attentâ vel fragilitate pœnitentis, qui pœnitentiam non implebit, vel emendatione ejus, vel alia de cauſa non ſit ampliùs ſalutaris & conveniens, aut certè alia ſit magìs ſalutaris & conveniens, cur ergo tunc non poterit licitè auferri, aut mutari ab eodem, vel alio Confeſſario?

Non video quid obſtet; eſtò Confeſſarius habeat poteſtatem obligandi pœnitentem, non tantùm ad pœnitentiam vindicativam, ſed etiam ad medicinalem ſeu præſervativam, adeò ut licèt per Indulgentias remittantur pœnæ impoſitæ, ùt ſatisfactivæ ſunt, non tamen, ùt medicinales: hoc, inquam, admiſſo,



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

adhuc non video rationem negandi Confeſſario eidem, vel diverſo, poteſtatem mutandi vel auferendi pœnitentiam præſervativam, priùs impoſitam, quando ita expedit ſaluti pœnitentis.

385. Probatur ex Trident. Nonne eodem tenore verborum Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. mandat ſeu potiùs ſignificat mandatum Chriſti de imponenda ſatisfactione *Non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem?* Sicut ergo ex illis verbis colligitur poteſtas Confeſſarii, obligandi pœnitentem ad pœnitentiam vindicativam, cur non etiam obligandi ad ſatisfactionem præſervativam? Et ſicuti per illa verba non tollitur poteſtas vel auferendi vel immutandi pœnitentiam vindicativam, ſemel impoſitam, quando ita expedit ſaluti pœnitentis, ſic itidem non tollitur poteſtas auferendi vel immutandi pœnitentiam præſervativam, quando Confeſſarius idem, vel diverſus, judicat id expedire ſaluti pœnitentis. Nam ſicut unus ſuccedit alteri in officio Iudicis, ita quoque in officio Medici; ergo ſicut ſuccedens poteſt mutare ſententiam Iudicis, pari ratione poterit mutare medicinam Medici.

386. Objectio. Sed dicet aliquis: ſi pœnitentia præſervativa eſt medicina, ergò ùt talis non obligat, ſicuti non obligat medicina corporalis.

Solvitur. Dicaſtillo. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 149. Confeſſarius præſcribit medicinam non tantùm ùt Medicus conſiliarius, ſicut Medici corporum; ſed ùt Medicus judicialis (ut ſic dicam) non tantùm dicendo quid expediat, ſed etiam imperando & obligando ad id; hoc enim genus Medici eſt in hoc Sacramento juxta Trident. ſuprà.

Suarius exiſtimat per Indulgentias non remitti pœnitentias medicinales. Hinc Suarius diſp. 38. ſect. 10. n. 10. exiſtimat, per Indulgentias remitti pœnitentias impoſitas, ùt ſatisfactivæ ſunt, non ùt medicinales; quia Indulgentia non datur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ: tollere autem remedium ſeu medicinam curativam peccati, eſſet in magnum detrimentum animarum: non eſt ergo hæc intentio concedentis Indulgentiam, nec ad hoc habet poteſtatem, ſed ſolùm ad remittendam vindictam. Cùm enim ſit veluti diſpenſator ſupremi Iudicis & Domini, poteſt remittere pœnam debitam pro aliqua culpa, & conſequenter tollere obligationem ſatisfaciendi pro illa. Ex qua limitatione intelligitur his temporibus, conſiderato modo, quo pœnitentiæ imponi ſolent, raró vel numquam licere omittere pœnitentias impoſitas propter Indulgentias; quia reverà imponuntur leviſſimæ pœnitentiæ, & ſic vix ſufficiunt per modum medicinæ. Hæc ille.

387. Oppoſitum docet Lugo. Lugo autem diſp. 27. n. 22. cum Aliis, quos citat ibi in magno numero, exiſtimat, per lucrationem Indulgentiæ liberari pœnitentem ab omni omnino ſatisfactione tam vindicativâ, quàm præſervativâ. Et probat I. ex cap. *Cùm ex eo* 14. de Pœnit. & Remiſſ. ibi: *Ad hæc, quia per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & Claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.* Probat I. ex cap. 14. de Pœnit. & Remiſſ. Ergo aufertur obligatio implendi pœnitentias: alioquin ſi manet obligatio implendi illas, ſaltem ratione medicinæ, nihil prorſus enervabitur ſatisfactio.

[illegible] Reſp. Neg. Conſeq. quia ponamus, quòd Confeſſarius injunxerit diverſa opera, aliqua ùt præſervativa, alia ùt vindicativa, ſaltem ex parte per illas indiſcretas Indulgentias enervabitur ſatisfactio pœnitentialis, ſcilicet quantùm ad opera vindicativa. Deinde exiſtimant Aliqui, Pontificem ibi locutum non de ſatisfactione ſacramentali, quæ in Confeſſione imponitur, ſed de ſatisfactione Canonica, quæ per jura Eccleſiaſtica imponebatur.

388. Secunda probatio Lugonis. Probat II. idque clarè, ùt ait, ex Bonifacio VIII. qui, ùt refert Gloſſa in Extrava. *Antiquorum* de Pœnit. & Remiſſ. nolebat Confeſſarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Iubilæum anni ſancti lucrabantur: quia nimirum ſatisfactione aliâ non indigebant. Hæc ille.

[illegible] Legi Gloſſam præfatam, & verb. *Confitebuntur* longè poſt medium hæc ſcripta reperio: *Papa declaravit conſiſtorialiter, quòd pœnitentiæ antea iniunctæ etiam tolluntur per commutationem operis ſatisfactorii hîc impoſiti.* Si per commutationem; ergo per Indulgentiam, vel potiùs per ipſum Pontificem non ita tollitur ſatisfactio, quàm benè commutetur in alia opera, quæ indubiè etiam poſſunt eſſe præſervativæ ſeu medicinales pœnitentiæ.

Deinde paucis interjectis magìs ad propoſitum ſic lego: *Declaravit etiam, quòd ſui Pœnitentiarii nihil debent iniungere ultra iniunctionem hîc poſitam* (ergo ſaltem illam injunctionem poſſent injungere, quæ poſſet ſufficere pro pœna medicinali) *aliàs (ùt dicebat) Indulgentia fruſtraretur: niſi confitens volens facere opera ſupererogationis, voluntariè pœnitentiam ſatisfactoriam aliam ab hac taxata reciperet; niſi ad alium finem iniungeretur: v. g. pœnitentia ne dum eſt ad remiſſionem pœnarum, pro commiſſis, & omiſſis debitarum, ſed etiam ad cautelam futurorum: & quoad iſtud forſan poteſt pœnitentia iniungi.* Quid clarius poſſet dici pro ſententia Suarii? Ergo ſecunda probatio ex Bonifacio VIII. nimis obſcura.

389. Probat III. ratione à pari: quia Confeſſarius imponit pœnitentiam vel pœnam ad ſatisfaciendum pro peccato; ergo ſublato debito totius pœnæ, prout fit per Indulgentiam, ceſſat omnino fundamentum illius obligationis: ſicut ſi condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipſo ceſſaret obligatio,

ligatio, impoſita per ſententiam Judicis ad pœnam aliquam pro illo crimine ſubeundam.

Reſponſio.

Reſpondeo; qui peccat duplex incurrit debitum, unum pœnæ Purgatorii, alterum emendationis in futurum. Per Indulgentiam tollitur pœna Purgatorii, per conſequens pœnitentia impoſita pro hoc debito; ſed quia non tollitur debitum emendationis, niſi fortè per opera requiſita ad lucrandam Indulgentiam, ideo præcisè per ipſam Indulgentiam non tollitur pœna impoſita ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum.

390. Objectio ex Lugone.

Dices cum Card. ſuprà n. 24. Confeſſarius non poteſt obligare ad medicinam, niſi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut licèt Judex debeat procurare, quòd pœna delinquentis ſit talis, ut ſimul ſit medicina in futurum, non tamen poſſet imponere illam pœnam, nec verberare reum, ſi pœna fuiſſet à Principe condonata.

Solvitur 1.

Reſpondeo I. Judicem ſæcularem ordinariè & per ſe loquendo tantùm infligere pœnam ad vindictam & caſtigationem præteriti peccati, & ideo non mirum ſi nequeat verberare reum, cui pœna à Principe fuiſſet condonata. At verò Judex Eccleſiaſticus in foro ſacramentali per ſe curare debet, ut pœna quam imponit, ſit ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ita ut unam pœnam poſſit imponere ad hunc finem, aliam autem ad vindictam, v. g. poteſt imponere pœnitenti, ne tranſeat per talem aut talem plateam, ne intret talem vel talem domum, eſto iſtud non foret omnino neceſſarium ad evitandum peccatum, dummodo valde utile ſit; inſuper poteſt imponere jejunium pro pœnitentia vindicativa. Et ſi idem faceret Judex ſæcularis (neſcio autem cur id non poſſet facere) dico, etſi Princeps condonaret v. g. pœnitentiam verberationis, adhuc reus obligaretur ad pœnam illam medicinalem, & Judex poſſet eam imponere, etſi Princeps antecedenter reo condonaſſet pœnitentiam vindicativam, v. g. verberationem.

391. Replica.

Si replices; Confeſſarius poteſt quidem conſulere illam pœnam, uti etiam Judex ſæcularis; ſed non poteſt ad eam obligare.

Solvitur.

Reſpondeo; eſt petitio principii. Cur enim Deus non potuit Sacerdotibus dare poteſtatem ligandi pœnitentes ad pœnitentiam tantùm medicinalem, & non vindicativam? Et ſi potuit dare, quod indubitatum eſt, cur negamus illam dediſſe?

Quia, inquis, non conſtat de illa voluntate. Nam quod dicit Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas; etiam antiqui Patres & credunt, & docent*, ad ſolam pœnitentiam vindicativam refertur, eſt enim probatio ejus, quod præmiſerat, ſcilicet: *Habeant præ oculis ut Satisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam Claves* &c.

Quæ ratio, inquit Lugo ſuprà n. 25. potiùs oſtendit, non poſſe Sacerdotem obligare, niſi quatenus imponit pœnitentiam ùt pœnam, ſi enim ligat, etiam imponens ùt medicinam, ineptè argueret Concilium probans, debere Sacerdotem non ſolùm imponere medicinam, ſed etiam pœnam, quia habet poteſtatem etiam ligandi: qui arguendi modus ut ſubſiſtat, ſupponit poteſtatem ligandi non exerceri, quatenus medicina imponitur. Hæc ille. 392.

Probatur ex Trident. Sacerdotem non poſſe obligare ad medicinam.

Explicantur verba Concilii.

Reſpondeo; ſenſus verborum Concilii eſt: *Habeant præ oculis*, ut præcipiant ſatisfactionem, tam ad novæ vitæ cuſtodiam, quàm etiam ad præteritorum peccatorum vindictam; *Nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum*, tam ad ſatisfactionem præſervativam, quàm vindicativam, *conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.*

Unde in Can. nulla fit diſtinctio inter unam, & alteram pœnam, ſed ſimpliciter definitur: *Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes dum imponunt* (id eſt præcipiunt) *pœnas* (medicinales vel vindicativas) *agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti* &c. *anathema ſit.* Igitur hic arguendi modus, ut ſubſiſtat, ſupponit, poteſtatem ligandi exerceri, quatenus medicina imponitur, id eſt, præcipitur.

Si autem à me quæritur, an ergo jejunium v. g. quod tantùm obligaret per modum medicinæ, deberetur ùt ſatisfactio ſacramentalis, quæ ſit pars Sacramenti? Reſp. affirm. Quomodo, inquis, cùm ille, qui nihil jam debet pro peccatis, non poſſit obligari ad ſolvendum, nec poſſit puniri à Iudice ille, cui condonata eſt pœna? Reſpondeo ùt priùs; peccator pro peccatis non tantùm debet pœnas Purgatorii, ſed etiam emendationem vitæ; hæc autem non eſt condonata à Iudice, ſed ſola pœna Purgatorii, ac proinde licèt Sacerdos non poſſit imponere ſatisfactionem vindicativam, poterit tamen imponere ſatisfactionem medicinalem, ſeu præſervativam à peccato futuro. 393.

Jejunium impoſitum per modum medicinæ, debetur ùt ſatisfactio ſacramentalis.

Quin immo Averſa q. 13. de Satisfact. Sect. 9. longè & latè probat, etiam ſuppoſitâ remiſſione omnium pœnarum Purgatorii, Confeſſarium nihilominus poſſe imponere ſatisfactionem vindicativam. Et citat pro hac ſententia D. Thom. Quodl. 3. a. 28. Alenſem 4. p. q. 24. mem. 4. a. 5. & Alios ex antiquis. Specialiter autem non tolli obligationem pœnæ per Indulgentias, ſignificavit, inquit, Gloſſa in cap. *Quòd autem* verb. *Quòd poſſit* de Pœnit. & Remiſſ. dicens, non tolli hanc obligationem, niſi ex voluntate Confeſſarii, qui impoſuit pœnitentiam. Ita Averſa.

An ſuppoſitâ remiſſione pœnarum Purgatorii poſſit imponi ſatisfactio vindicativa? Affirmat Averſa citans D. Th. Alenſ. & Alios.

Subſcribo verba Gloſſæ non verb. *Quod poſſit*, nam illud verbum nec in Textu, nec in 394.

Verba Gloſſæ ex qui-

 Gloſſa

bus colligit Averſa per Indulgentias non tolli obligationem pœnæ.

Gloſſa habetur, ſed verb. *Vt proſint.* *Ex hoc capite veriùs colligitur, quòd qui iniungit pœnitentiam, ſicut ſibi videtur, imponit & concedit, ut eam per has remiſſiones* (Indulgentias intelligit) *vel in totum, vel in partem redimat: quòd ſi fecerit, ùt hìc dicitur, valent remiſſiones ad relaxationem iniunctæ pœnitentiæ: alioquin non.* Hoc tamen verum eſt, *quòd licèt non valeant ad relaxationem iniunctæ pœnitentiæ quoad Eccleſiam, valent tamen ad minorem pœnam peccati quoad Deum, ſicut alia bona. Sic ergo ſi Iudex iniungat alicui ſeptennem pœnitentiam, & non concedit, ut poſſit redimere, licèt ipſe vel alius pro eo generalem faciat remiſſionem ad pontem vel ad alium locum, qui ponti confert de ſuo, quantitatem pœnitentiæ ſibi iniunctæ quoad Eccleſiam non diminuit.*

Expenduntur,

Ex quibus verbis inprimis habemus, ex voluntate Confeſſarii per Indulgentias remitti pœnitentiam injunctam in totum vel in partem. Secundò; quòd Confeſſarius, qui injungit pœnitentiam, ſicut ſibi videtur, imponit & concedit, ut pœnitens eam per Indulgentias vel in totum vel in partem redimat; in totum quidem, ſi Indulgentia eſt totalis, in partem verò, ſi Indulgentia ſolùm eſt partialis.

395. Ex cap. *Quod autem* de Pœnit & Remiſſ. nullatenus colligitur per Indulgentiam non tolli pœnam.

Quòd autem Confeſſarius poſſit impedire quò minùs pœnitens per Indulgentiam conceſſam à Pontifice, vel alio proprio Prælato ſeu Judice, redimat ſatisfactionem ſacramentalem, dico, nullatenùs colligi ex hoc capite, quod ſic ſonat: *Quòd autem conſuluiſti, utrùm remiſſiones, quæ fiunt in dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint, quàm his, qui remittentibus ſubſunt. Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quòd cùm à non ſuo Iudice ligari nullus valeat, vel abſolvi: remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantummodò arbitramur, quibus ut proſint, proprii Iudices ſpecialiter indulſerunt.* Et titulus ſeu ſummarium capitis: *Indulgentiæ, quæ conceduntur per Prælatos non ſubditis, non proſunt, niſi proprii Iudices hoc concedant.*

Ergo veriùs colligitur ex hoc capite, per Indulgentias, conceſſas per Prælatos ſuis ſubditis, non tolli obligationem pœnitentiæ ſacramentalis, niſi ex voluntate Confeſſarii, qui eam impoſuit: non valet hæc Conſequentia, quidquid dicat, vel non dicat Gloſſa.

396. Allegat præterea pro ſua ſententia Averſa Conc. Salegunſtadienſe.

Allegat præterea Averſa Concilium Salegunſtadienſe, celebratum ſub Benedicto VIII. & relatum tom. 3. Concil. in quo cap. 18. ſic definitur: *Quia multi tantâ mentis ſuæ falluntur ſtultitiâ, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus* (forus) *omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio, ut talis Indulgentia illis non proſit, ſed priùs iuxta modum delicti pœnitentiam, ſibi datam à ſuis Sacerdotibus, adimpleant: & tunc Romam ire, ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam & litteras ad Apoſtolicum* (forum) *ex* (aliàs *de*) *iiſdem rebus deferèndas accipiant.*

Sed neque hæc definitio multùm favet huic ſententiæ; nam, præterquam, quòd non ſatìs mihi conſtet, an loquatur de ſola pœnitentia ſacramentali, propter ultima illa verba: *Et tunc Romam ire, ſi velint* &c. non enim de peccatis, ſemel in foro conſcientiæ dimiſſis, & debitè caſtigatis, ſolent litteræ deferri ad forum Apoſtolicum; præter hoc, inquam, dici poſſet Concil. tantùm velle, quod licèt per Indulgentiam pœnitentiæ impoſitæ ſuppleri poſſent, non ideo earum executio differri poſſet uſque ad Jubilæum Romæ, vel alibi obtinendum, cùm illarum executio, ùt ſuo loco vidimus, pro prima opportunitate imperetur. Ita intelligit hanc definitionem Scilders in ſua Synopſi de Sacram. §. 82. in fine.

Et ideo, quando DD. excuſant Confeſſarium ab imponenda pœnitentia ratione Indulgentiæ, addunt ly *Inſtantis*, id eſt, quaſi præſentis. Deinde addunt ly *Moraliter certæ*, quales vix hodie repetiuntur, quæ totam pœnam debitam peccatis remittant, ſive propter defectum cauſæ, ſive propter defectum diſpoſitionis ipſius pœnitentis, fortè etiam defectu intentionis Pontificis.

Unde Urbanus VIII. in Bulla Jubilæi an. 1628. quæ incipit: *Quòd ab initio*, & eſt 82. apud Cherubinum, ubì agitur de caſuum reſervatorum Abſolutione; expreſsè addit: quòd pœnitentiæ ſalutares imponi debeant: Hæc ſunt verba Bullæ. §. 6. *Et inſuper vota quæcumquè* (*Religionis & Caſtitatis exceptis*) *in alia pia & ſalutaria opera commutare* (valeant) *iniunctâ tamen eis & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentiâ ſalutari, aliiſque eiuſdem Confeſſarii arbitrio iniungendis.* Et eandem clauſulam reperies in Bulla Iubilæi a. 1629. quæ incipit: *Irritatus aſſiduis.* 105. apud Cherubinum. Quare ſemper videntur imponendæ & implendæ pœnitentiæ ſaltem medicinales ſeu moderatæ, quales jam ob fragilitatem pœnitentium dari ſolent, ſic ut defectum condignitatis ſuppleat Indulgentia.

Nec aliud probat ſenſus & praxis communis Confeſſariorum & pœnitentium, Confeſſariorum, qui non obſtante Indulgentiâ plenariâ ſolent imponere aliquas pœnitentias, & pœnitentium, qui ſolent eas adimplere.

Ac proinde per Indulgentias non valde enervatur poteſtas ligandi, quæ ad pœnitentias injungendas à Trident. refertur; neque fruſtrà ſtabilita eſt obligatio Confeſſarii de congruis pœnitentiis imponendis, & obligatio pœnitentis de iis adimplendis. Providetur quoque integritati Sacramenti, ſi non omnimodæ, ſaltem tali quali, ita ut non maneat Sacramentum omnino mutilum & imperfectum.

Dices; non ſatìs conſtat, quando pœnitentiæ injunctæ ſint in vindictam, vel in medicinam; quia nec Confeſſarii id ſolent declara-

re, nec

re, nec ex natura operum apparet talis diſtinctio, cùm eadem opera poſſint unâ, vel aliâ ratione imponi. Immo de facto ut plurimùm injunguntur pœnitentiæ, tamquam vindicativæ & ſatisfactivæ de præterito, conſiſtentes in precibus & orationibus, aut quæ brevi tempore perficiuntur: & ſolùm iis, qui ſæpiùs in eadem peccata per modum continuatæ conſuetudinis relapſi ſunt, ſolent imponi pœnitentiæ magis adaptatæ ad medicinam & præſervationem. Niſi dicatur, hoc ipſo, quòd pœnitentia eſt vindicativa de præterito, eſſe etiam præſervativam de futuro, ob illam vexationem & laborem, quem inducit: quo pacto ſemper & omnis pœnitentia habebit rationem medicinæ præſervativæ: & ſic inutilis ac fruſtratoria redditur illa ſententia, quòd per Indulgentias compenſetur obligatio pœnitentiæ. Ita Averſa ſuprà §. *Septimo*.

Reſponſio. Reſpondeo; in tantùm utilis eſt hæc ſententia Confeſſariis, quòd ratione Indulgentiæ poſſint imponere minores pœnitentias, quàm aliàs, præcisè attendendo qualitatem delicti; & facultatem pœnitentis, impoſuiſſent. Et conſequenter in tantùm utilis eſt pœnitentibus, quòd adimplendo illas minores pœnitentias, ad plenum ſatisfaciant. Voca vindicativas, voca medicinales; parùm refert: quia ſicuti pœnitentia vindicativa de præterito, eſt etiam præſervativa de futuro, ob illam vexationem & laborem, quem inducit; ſic vice verſâ pœnitentia præſervativa, ordinariè eſt etiam vindicativa; quia ordinariè habet conjunctam aliquam vexationem & laborem. Unde etſi nullæ pœnæ Purgatorii reſtarent exſolvendæ pro peccatis tunc confeſſis, equidem illa pœnitentia præſervativa adhuc foret vindicativa, id eſt, deleret pœnas debitas aliis peccatis, ſi non ex opere operato, ùt Aliqui putant (Aliis contrarium exiſtimantibus) ſaltem ex opere operantis.

400. An D. Tho. & Alenſis faveant ſententiæ Averſæ?

Finio cum D. Tho. & Alenſi, ſuprà adductis pro ſententia Averſæ. Et ſanè D. Tho. loco allegato, ſcilicet Quodl. 3. a. 28. nullo omnino verbo attingit hanc controverſiam, ſed quærit, *Vtrum ſatisfactio univerſaliter iniuncta* (putà his verbis: *Quidquid boni feceris* &c.) *à Sacerdote ſit ſacramentalis.* Similiter Alenſis 4. part. q. 24. memb. 4. a. 5. ne verbulo hanc controverſiam inſinuat; agit enim in illa quæſtione de Sacramento Confirmationis.

Immo, quod magìs mirandum eſt, 4. p. q. 83. a. 2. memb. 6. ubì tractat hanc controverſiam, in terminis docet contrarium, ùt patet ex ejus verbis, quæ ſubſcribo: *Reſpondeo; quòd præexiſtente pœnâ debitâ & ſufficientis Contritionis, poteſt Summus Pontifex totam pœnam, debitam peccato, pœnitenti dimittere; non tamen debet, niſi ex cauſa magna.* Et infrà: *Ad illud, quòd quæritur; ſi oportet illum, cui facta eſt plena Indulgentia; facere aliquid de pœna ſibi iniuncta? Dicendum, quòd non oportet opportunitate neceſſitatis, ſed tantùm opportunitate expeditionis; licèt enim tantùm ſit alicui collatum de Indulgentia, quantùm ſufficit ſibi ad deletionem totius pœnæ, quam debet pro peccatis, tamen non expedit illi prætermittere ſibi pœnitentiam iniunctam, ſed expedit, quòd illam adimpleat quamdiu vixerit.* Quid luculentiùs poterat dici contra ſententiam Averſæ?

Niſi ergo alios adduxerit Patronos, quàm D. Thom. & Alenſem, nolite credere ei. Credimus quidem Conc. Trident. quod docet, pœnitentiam, quam imponunt Sacerdotes, debere eſſe non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; ſed quòd pœnitens debeat Deo, præter vindictam & caſtigationem moraliter æquivalentem pœnis Purgatorii, & præter emendationem vitæ, aliam vindictam & punitionem ſcelerum, diſtinctam à Confeſſione ſacramentali, ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ, & quaſi ad reſarciendum divinum honorem læſum, atque adeò ad ita ſervandam judicii æquitatem: credere non debemus, nec credimus, niſi Averſa efficaciùs probaverit, quàm de facto probat. Igitur expectans expectabo efficaciorem probationem. Interea proſequar opus inceptum.

*F I N I S.*